Bartholomęi Faij, Regij IN SENATV PARI-ſienſi Conſiliarij, ac Inqui ſitionum Præſidis

ENERGVMENICVS.

Eiuſdem ALEXICACVS,
cũ liminari, vt vocant ad vtrũque librum Epiſtola.

LVTETIAE.

Apud Sebaſtianum Niuellium, in via Iacobæa, ſub Ciconiis.

1571.

Cum Priuilegio Regis.

7440F280
A. 9403.

CAVTVM *est Christianissimi Regis Priuilegio, ne quisquam hos iuxta eius edictum à theologis recensitos D. Bartholomæi Faÿ, Inquisitionum Præsidis libros latinè scriptos, quique ab ipso aut alio quolibet in Gallicũ idioma vertetur, ante decennium vel excudat, vel excusos alibi diuendat, nisi eiusdem Faÿ permissu & voluntate Quod ille Sebastiano Niuellio, libenter impertit. Qui secus faxit mulcta amplissimo diplomate indicta plectitor. Blesis xÿ die Septembris* 1571.

Par le Roy en son conseil
Perrin.

CORNELL UNIVERSITY
The
President White
Library
RECEIVED 1891.

Errata ſic corrigito

PAgina 18.linea 4.frueretur
pag.19.lig.3.Sueſsionum
pag.24.lin.vltima,ſuo
pag.42.lin.24.conſpirationem
pag.51.lin.vltima,exorciſmum
pag.73.lin.16.vſum
pag.76.lin.14.credulitas
pag.88.lin.23.rogata
pag.94.lin.20.ceu vnius
pag.110.lin.10.Saule,eadem lin.Dauidem
pag.112.lin.1.admiſsis
pag.119.lin.20.Magis
pag.120.lin.2.magia, ſed & lin.7.Deum,
pag.121. lin.2 inſuſurratum & lin.24.ſe a ſcorpione
pag.122.lin 13.ſubſeciuæ
pag.129.lin.6.effingi
pag.135.lin.7.dæmones effugandi
pag.139.lin.2.eliciendis
pag.140. principio lin.vltimæ,dent
pag.145 .lin.23.ne Vuierus quidem ipſe
pag.147.lin.4.ſemianimi,
pag.155.lin.5.vel ob.&lin.8.Pyrenen
pag.158.lin.15. tritauus
pag.170.è regione lineæ 19.Damaſ.
pag.174.lin.19.ſanguis meus,
pag.209.lin.22.Næ
pag.222.lin vltima perennis
pag.223.lin.13.vtrunlibet
pag.227lin.17.in
pag.232.e regio.lin.8.implemento in
pag.232.lin.7.dele mortua,pone,inanimata
pag.235.lin.vltima dele. in
pag.263.in fine linearum 22.tem-& 23.tum

pag.271.lin.25.dele mortua &
pag.272.lin.4.loco mortuæ, pone, inanimatæ,
pag.286.lin.19.igni
pag.296.lin.6.inuocationem
pag.304.lin 19. dele mortuas, & pone inanimatas.
pag.326.lin.7.Dei & ostentui
pag.327.lin.18, qui ministrastis & ministratis
pag.332.lin.15.configeretur
pag.335.lin.10.offerri
pag.355.lin.7.oue
pag.360.lin.13.renouationis
pag.361.lin.19. hierarchicis
pag.394.lid.vltima, Christi
pag.374.in principio lin.1.isti
pag.393.lin.3.Sacramentariorum

Dele præterea quas nonnullis parenthesibus passim, scilicet posteriore harũ semicirculo præpositas nouo more punctorum aut virgularum inueneris dictinctiones.

Omissa in contextu sic reponenda.

pag.164.lin.4.post verbum attrahat, adde, vel potius interiice, verba hæc. quod admotus huic adamas subinde retrahat,

Item omissas in marginibus allegationes sic repone

pag.138.e regione lineæ 5.De prestig.dæm. lib.5.cap.8.9 10.11.13.& 14.
pag.179.e regio.lin.17. cano.liquido de consecra.dist.2.
pag.139.e regio. lin.9.cano. species de consecra. dist.2.
pag.246.e regio.lin.7.Defensio.par.1.obiec.178.
pag.249.e regio.lin.15.cano.cum omne de cõsec.dist.2.
pag.321.e regio.lin. 16.villag. de cęnæ Philip. Melancts iudicio.
pag.350.e regio.lin.9.lib.3.contra Eunomium.

Bartholomæus Faius

Reuerendo in Christo patri D. PETRO GONDIO, Parisiensi Episcopo S.

SCILICET horologi vinctus tereti atque striato
Funiculus fuso, circùm orbiculóque volutus,
Hæserit atra rotæ donec rubigo supernę,
Suffixa motus æquales lance ciebit?
Hæc immò reliquas (præterquam ærugine sensim
Tardigradæ fient) remorabitur vna: nisi eius
Pyxidis exemptę retinaclis, quippe politi
Structura chalybis mēbratim dissociata,
Denticulis tenus emundaueris apsida curuum.

Sic ſupero inferior cleri molimine aget,
Impiger aut deſes exẽplo Præſulis, ordo.
Sæpius vt qualem vel Epiſcopus aut agat abbas,
Talem presbyteri vitam monachíve ſequantur.

Licet enim te, clariſſime Gondi, hac comparatione quodam meo verſu pridẽ ſcripta compellare: non quòd paſtoralis officij (cuius vltrò atque ingenti populoſiſſimæ huius vrbis applauſu ſatagis) admonendum te putem (nam quo ſupercilio id mihi muneris arrogarem?) verũ vt dominico gregi vbiuis gẽtium præfectis, non aliam reipublicæ in melius commutãdę ſpem, quàm ſi ſuperno, hoc eſt, ſummi Pontificis Pij Quinti motu circumagantur, ſubiici inde proponam: præſertim cum pacificatorio, quod vocant, edicto, toleratis nouæ ſectæ miniſtris, iugis quędam ęmulatio catholicæ eccleſię parata eſſe videatur. Enimuero nõnulli, qui nuper, dũ ciuili bello flagraremus, ſe pro catholicis, quaſi cũ illis humiliter demiſſéque ſentientes, gerebãt, eo ſtatim cõpoſito, ſic animos ſuſtulere, vt quotquot in

dies

dies & vbique locorum (retũdendis credo hęresibus) fiunt miracula, pleno iam ore rideant, ac calumniẽtur. Quorũ (vtique nõ dissimiliũ ab Iudæis illis qui de tot Christi miraculis, licet ob oculos factis, idẽ audebant: aut aliis pluribus, qui talia iam pridẽ fieri desiisse contendebant, *Vt nec illa miracula*, inquit Augustinus, *facta fuisse credãtur*) vesania maximè commotus sum quicquid istud est proferre, quod Energumenici titulo inscriptum, biduóque ante solennem sexagesimi septimi anni Parasceuen absolutum, iã tũ publicaturus eram, nisi mihi quidem, ac duobus collegis viris clarissimis, ad proximas Paschatis ferias Ambianorum moribus scripto sanciendis status cõdictus dies fuisset. Sed subeuntibus negotiis data ad insequens curiæ nostræ iustitium comperendinatione, quominus euulgarem, obstitit pudori coniunctus timor. Quanuis enim diiudicandis quibuslibet, & inter quoscunque litibus in mentem subinde mihi veniat Virgilianũ illud.

lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.

26. Martij 1567.

Tros Rutulúsve fuat, nullo discrimine habebo,

me tamen tanti miraculi prædicatione Caluinianis multis illuc conuenturis

ſuſpectum, atque adeò exoſum legiſlatorē præbere nolebam. Ea porrò delegatione perfunctus, & in vrbē, ſub ſecundum belli ciuilis motū, non ſine periculo (vt plerique norunt) reuerſus, nunquam in animum inducere potui vt id foras proferrem, quod penitus ſupprimendum eſſe, ipſa temporis calamitas ſponte ſuadebat. Itaque nōnullis amicorum mihi intimis, quibus aliquando, quę de ea re ſcripſiſſem, legeram, iocoſè rogantibus, ecquando Laudunenſem diabolum è cuſtodia emiſſurus eſſem! cum primùm, aiebam, vacua tot apparitoribus Gallia liberum huic commeatum dederit: hoc ſanè reſponſo alludens ad cornutum, vt pingi ſolet, diabolum, quem iam olim in dealbato monaſtici cuiuſdam triclinij pariete, cum duobus apparitoribus, quaſi reſtitantem vtroque brachio prenſantibus, ac in tetrùm carcerem trudentibus, graphico carbone adumbratum videram. Plurimùm autem quo quicque tempore proferatur, intereſſe, nec perinde nubilo ac ſereno gratam fore Energumenici mei lectionē arbitrabar: maximè pleriſque nō rei ęquitatem, ſed ſolū (quo nihil

iniu

iniuſtius eſt)euentũ ſpectantibus:ideóque lætabar quoſdam meę huius cunctationis cauſſam ad eum,qui vel conſtanti viro incidat, metum referre : Cæterùm primam quanque eius editionis maturandę occaſionem opperiens,cum intra ſemeſtre, ſecundo illo motu remittente, nihilo ſecius indiciis manifeſtis appareret huic acriorẽ alterum, vt quinto pòſt menſe accidit,ſuccesſurum , interea ſubiit animum cogitatio iacẽti Energumenico Alexicacũ, velut ægroto medicum adhibere:atque ita quorundam,me,tanquam voti reum poſtulãtium , in dies gliſcentem impetum retardare. Cum igitur poſteriori fœturæ pluſculos , quàm priori(quæ ſubſeciuas anni, ſubducto morbi, quo interim decubuerã, tempore , nondum vertentis horas deterſerat) menſes tribuiſſem : incertis adhuc rerum vicibus ad tertiam fœturam duabꝰ illis adiiciẽdam calamum admoui:quam aliquantulum promotam, Deo dante,cõfecturus , tibíque dicaturus eram , niſi Bellamici Carmelitæ editum ſuperiore æſtate libellum mihi forte legendum prębuiſſes:eóque lecto me ab hoc benè docto

alumno tuo præuẽtum animaduertiſſem.
Nam quod ipſe moliebar, diligenter exe-
quutus eſt, omnibus hęreſibus, quibus pũ-
ctim cæſimque ipſa Chriſti, viſibili ſpecie
quondam in terra, vt nunc in cœlo, ac prę
terea myſticè in Eucharistia ſubſtans hu-
manitas peteretur, à Simonis Magi, vt ita
dicam, porrigine ad Luteri, Cinglij, & Cal
uini pernionem podagrámque recenſitis.
Tanta autem ſectariorum omnium eodẽ
collimantium à veritatis ſcopo diſtãtia eſt
& aberratio, vt iam modico ſpiritu noua
iſtorum ecclesia, ad amuſſim Apoſtolicã (ſi
ſuperis placet) reformata, nõ ſecus ac mol-
lis herbarũ lanugo difflari poſſit. Proinde
mihi ab eo tempore, quo tuus ille frater in
clytus Raiſij comes hinc Nemetes cũ ſpõ-
ſalitiis arrhis heroidi Auſtriacę: quę paulo-
pòſt atque ingenti omnium lætitia Chri-
ſtianiſſimo Regi piiſſima nupſit: occurſu-
rus, perrexerat, pacatam vndique Galliam
cernenti nullus vlterius procraſtinandi re
lictus eſt locus. Quóque citiùs pẽſum ab-
ſoluerem, nihil prorſus de vtriuſque libri
inſcriptionibus & prefationibus cẽſui im-
mutandum. Nam etſi Iacobus Amyotus,
magnus

magnus Franciæ Eleemoſynarius, multo poſt ſcriptum Energumenicum, in Altiſſiodorenſem Epiſcopum fuerit aſſumptus: & ſobrinus tuus Carolus Angeneus, Cœnomanenſis Epiſcopus, ad purpureum apicem paulo poſt, quàm Alexicacum exegiſſem, peruenerit: tamen ipſi ſuis illis dignitatib⁹ nihilo maiores, quàm antea mihi, pluris amborum coniunctam pietati doctrinam, quàm vllas opes aut vlla virtutis ſine virtute inſignia facienti, viſi ſunt. Verumtamen ne ſuę inde virtuti reddito, potiſſimùm ab hoc ſummo Pontifice teſtimonio fraudentur, faxo, vt quouis ambarum inſcriptionum margine cuique noſtra legenti noteſcat in quales, quantóſque viros ij euaſerint, quibus mea qualiacunque deuouiſſem. Iam verò temporis conditione non in eam periodum verſa, vt refractarij ſubigente metu (quem vel ipſis amplexandæ veritatis gratia incutiendum eſſe diuus Auguſtinus ait) aliquando reſipiſcant, nobis nihilomagis extabeſcendum eſt: quin omnia placidè ad nutũ Domini, nẽpe, quod ſapiens ille renũtiat, cor Regis in manu ſua habentis, & Epiſt. 204. Prouer. 21.

illud quocunque uoluerit inclinantis referenda: híque adeo inter nos tolerandi, quos alioquin idem Auguſtinus decem leproſis eminus Chriſtum vocantibus deſignatos eccleſiæ vitandos ità cenſuit, vt ſi fieri poteſt, longius remoti magno eundem clamore interpellent: hoc eſt, ſuos errores veri coloribus fucatos, tãquam nitidæ cuti affixas lepræ maculas immodica ſermonis iactantia oſtentent. Ac veteri quidem lege ob difficillimã elephantiaſis curationem, eius ſuſpicio in religionem eouſque verſa eſt, vt ſanatis non aliter, quàm permiſſu ſacerdotis, cui ſe primum exhibuiſſent, cum populo verſandi ius eſſet. Quæ ſignificantis ratio ad ſignificatum, vtpote æquè contagioſum ac curatione difficilem morbũ, noua hac Chriſtianorum lege tranſlata eſt: quippe hinc (vt coniicio) impoſita neceſſitate reſipiſcentibus coram ſuo Epiſcopo, quam publicè profeſſi ſunt, hæreſim abiurãdi. nam etſi vitia internóſque animi morbos ſolus perſpiciat Dominus, nihilominus receptæ ſanitatis, fidem eccleſiaſtico, non etiam priuato cuiuſquam examini, quò omnis

lib. 2. Euãgelic. quæſt. q. 40.

vanitas

vanitas & impoſtura faceſſeret, committi voluit. Itaque Paulus & Cornelius centurio, licet hic cœleſti nuntio donóque linguarum per ſpiritus ſancti infuſionem cõfirmatus, Petrum Apoſtolum accerſere: ille diuina obiter viſione conuerſus, Ananiã Chriſti diſcipulum audire iuſſi ſunt, vt eo ſacerdotio, quod in eccleſia conſtitutum eſt, vterque ſacramẽtum fidei perciperet. Rurſum ille quartodecimo pòſt anno cũ Barnaba & Tito Hieroſolymã profectus, præcipuis coapoſtolorum probato, quod prædicauerat, euangelio, dextras initæ cũ ipſis ſocietatis iunxit: vt ea quaſi collatione doctrinæ verũ huic, ceu vni ſpeciei colorem inducens, omnem varietatem excluderet. Deum immortalem quàm procul iſti nouatores ab Apoſtolica illa, quæ nitidam cutem à lepræ maculis diſcernat, amuſſi diſceſſere! Quos, vt Budei verbis vtar, δοξοσόφους primo ſtulta de ſe ſefellit opinio, deinde lubrica Bibliorum excepit commentatio. Eſt enim, inquit ille, ſacroſancta ſcriptura, vt rectis mentibus pabulum, ita eſca hamo latente traiecta: & (vt Gregorius de Arianiſmo loquitur) imago

In com. lin. grece inver. ἐλλαμψις

aſpectum circunferens ad omnem ingredientem: communis vtriſque cothurnus, & qui dextro pede ſtudium ſacræ doctrinæ concipiunt, & qui ſiniſtro: denique ad omnem flatum vẽtilatio. Quod vltimum nonnullis perperam, vt videtur, eruditis, nec fortaſſe iniuria, aſcripſero: quorum de religione præiudiciis, ità plebem à nobis diuulſam vidimus, vt vix noſtrorum quiſquam ad catholicæ cauſſæ defenſionẽ accedere poſſe videretur. Quorum quidem eruditorum duplex genus videre licet, alterum ſua vel libidine, vel ambitione aures blandienti alioqui doctrinę accommodantium: ſiue quod ad inſitum perditis ingeniis atheiſmum procliuior ſit Caluiniſmus, ſiue quòd in nefandæ prædæ partem optimus quiſque captetur magiſtratus: alterum ſe tum ſuo, tum alieno errore implicãtium: ſuo, dum proprium magis, quã communem eccleſiæ ſenſum amplectuntur: alieno, dum tanto nouæ doctrinæ ſucceſſu, tanquam indubitato euãgelici profectus argumento, mouentur. Quaſi verò Chriſtianum orbem non denſioribus Arrianorum tenebris olim offuſum fuiſſe

legamus

legamus. At quę diuino afflatu tum quidẽ discussæ sunt, cum iamdiu latæ de hæreticis occidendis leges quadam iudicum, ceu multitudini parcentium, conniuentia exoleuissent. Quod idem nobis inopinantibus, quippe Deo cleri se tandem ad supernum, vt dixi, motum circumagẽtis, necnõ supplicibus populi votis praua istorum consilia in melius referente, vsuuẽturum confido. Hanc porrò editionẽ quorũlibet vel apertæ, nedum posticæ, sannæ præuertendam ratus, cuidam asseueranti sibi valdę alienũ ab instituto videri quòd magica miracula diuinis commisissem: ridiculum etiam, quòd illò ætatis & (vt addebat subblandiens) authoritatis cum lamiarum, tum excantati muli equíve meminissem: immo, hîc renidens inquam, Balami asinam voces humanas prolocutam, qui te huc submiserũt, fortassis æquè istud atque illud credẽtes, irriserint. Nam quod ad lamias attinet, Francisci primi principatu quotquot maleficij conuincerentur, capitali supplicio affectas fuisse recordor: ac proinde ab vno collegarum aliquo, iam tum reipublicæ fœdã, qualis postea visce-

Niceph. li. 21. cap. 15.

ribus eius erupit, vomicam præſe ferente, in maiorum noſtrorum credulitatem, vel potius, aiebat, crudelitatem acriter inuectum: contrà prudẽtioribus nonnullis impuri hominis os cõpluribus ſcripturę locis opprimentibus. Certè magicis miraculis repudiatis ad diuinorum contemptum gradatim ſubiri quiſquis animaduerterit, ſimul Energumenici libri principia mediis & poſtremis contulerit, vtrorumque in hoc miraculorum neque craſſam ſuturam neque iniucundam fortaſſe comperiat varietatem. Poſtremò, vt ſunt pleraque criticorum ingenia, nõ defuturos arbitror, qui dictionem ſcriptionémve noſtram prorſus improbent. Sed in quos non diſsimile ab eo, quo Deſiderius Eraſmus in Lazarum Bonamicũ feſtiuè perhibetur vſus, placeat cõmentum. Ille enim ad hũc quem ſuam paſſim & ex profeſſo faſtidire latinitatem (verè an falsò mihi dubium facit olim nota viri modeſtia) intellexerat, complicatam inſtar epiſtolæ chartã miſit, qua reſignata cõtinuò ſe tactum pũctúmque ſenſit: ceu interiore eius pagina ad ſolitam ſubſcriptionẽ conſcriptis his modo

Chriſti

Christi, quasi alludentibus, verbis, *Lazare veni foras*, innueretur, ei qui nihil aut parũ suorum operum in lucem emisisset, licẽter in aliena grassari turpe & pudendum esse: atque etiam iniquũ pręfractè id à quoquã exigere, quod tanto ante pauci cum Terentio, Cicerone, Cæsare, & Sallustio præstitissent. Me meæ profectò mediocritatis pęnitet, non eò tamen, vt accommodatissimis tempori pro re nata scriptis Dominici corporis & sanguinis in Eucharistia veritatem & præsentiam profiteri verecũder. Quod vt faciam, vel tua, quę multò maxima est apud me authoritas, vel meus vsque tuendæ catholicæ religionis ardor districtè vetauerit. Vale Lutetiæ Parisiorum pridie nonas Augusti. 1571.

DE ENERGVMENICO
Authoris carmen.

Haud cōpressa domi, sed aperto elata theatro
Grammateiq; excepta notis miracula narrat
Dein probat exēplis illustribus hic liber: vt iam
Non sua sit cuiquam opportuna superstitioni
Credulitas, oculis nisi velum obduxerit vltrò.
Ast aliquis tetricæ fortaßis deesse queretur
Historiæ, accedant priscis quæ florida scriptis
Verba: nouum pugnæ genus, arma innoxia: nā pro
Lorica stola, thorace infula, caßide mitra,
Pro mucrone crucis signum, pro lancea & hasta
Mersum lustrali aspergillum rore. Sed isthæc
Dæmone fœmineos tantùm exagitante furores,
Armatura leuis præ sacra visa Synaxi.
Que veteratorem muliebri corpore abegit
Haud secus, atque metu cedit conclusus in arce
Vndique tormentis displosa territus hostis.
Porrò hæc dißimili argumento vocibus horret
Historico insuetis. Etiámne quid amplius addes
Zoïle, quò sibimet sit fraudi industria? qua si
Ringeris, hoc in lucro magno deputet author:
Ac maiore quidem, si proserpentis vbique
Perfidiæ exhales crassum aëra pectore toto.

Bartholomæi Faij ad

Reuerendum in Christo patrem D. IACOBVM AMYOTVM diuorum Cornelij & Cypriani apud Compendium Abbatẽ, ac magnũ Frãciæ eleemosinarium ENERGVMENICVS.

Hic nunc Altißiodorensis Episcopus.

COEPERAM stupendi in Veromãduis miraculi, vbi primùm eius fama increbruisset, historiam tibi paucis, Amyote doctissime, scribere: quòd ei per te maximè, qui generosissimi Regis nostri animum doctrina & moribus à puero infor-

mandum, excolẽdúmque fœliciter, summóque reipublicæ Christianæ commodo suscepisti, non parum authoritatis accessurum sperarem. Verũ huc properanti longè ab instituto diuersus rumor occurrit: quẽ etsi eiusmodi, vt ipse demum rei exitus ostẽdit, fore subolerem, interea tamẽ tantisper tollendam de tabula manum esse duxi, dum minimé à quoquam vanitatis, quasi incerta pro compertissimis scribens, coargui posse viderer, ratus hac dilatione non defuturam huius narrationis, latius se aperiente materia, amplificationem. Nam quantò studiosiùs à ridiculis istis seculorum castigatoribus sacrosancti Eucharistię sacramenti, iugísve (quod adeò abominantur) sacrificij vis atque efficacia occuleretur, tanto magis hanc sese in lucem prolaturam esse non diffidebã. Neque tam stupidus eram, vt fidem eorum, quæ priuatis in ædibus gesta esse feruntur, iis, quæ vel publicis notis excepta, vel tot præstantium virorum dictis cõtestata sunt, anteferrem. Sed de his posteriùs: nunc ad rem.

Vreuini, quod oppidum Lauduno septendecim

ſeptemdecim ferè milliaribus diſtat, Nicola, Petri Alberici filia, annos nata paulò minus ſedecim, Ludouico Petreio, ciui ſuo, circa ſuperioris anni, qui ſexageſimus quintus huius ſeculi numerabatur, caniculam nupſerat. Huic poſtridiè ſolennis mortuorum commemorationis, paroeciacam eccleſiam ingreſſæ, auitóque tumulo congenulatę occurrit, quaſi ex eo conſurgens hominis linteo contecti ſpectrũ: quod ſubito eius indè diſceſſu, illius oculis obuęrſari non deſiit: quin miſeram quacunque incederet, velut aprico die ſuũ vmbra corpus, ſequi inſtitit: eique, grauiſſimis interim ſtomachi, vterívę doloribus afflictatæ, triduò poſt detecto capite, Ioachimi Vuillotij auiuultum referente, obnuntiauit, ſe illius animã eſſe, quæ purgatoriis quidem ignibus retineretur, ſed iis intrà triẽnium eximeretur, ſi diuinã opem, Deiparæ virginis, Sanctorúmque omnium ſuffragationem certo miſſarum numero aliiſque precibus implorari, & votiuas inſuper aliquot peregrinationes pro ſalute ſua ſuſcipi curaret. Tũc verò credula mulier id omne, 3. Nouembris. 1565.

quod anteà maritum & parentes reuerita celarat ordine aperit. Ac de eo haud ita pridē vita functo isti nōnihil suspicantes, vt quem virū alioqui, dum vita frueretur, probum & catholicum repētinam mortem obiisse meminissent, triginta circiter libras turonēses in piorum eiusmodi operum partem insumpsere. Sed quū Nicolam nihilo magis à pristina inquietudine liberari cernerent, ipsáque, vt valeret, rogata, se non prius conualiturā dixisset, quàm ex auito præscripto quempiam ipsi Compostellam mitterent, aut eius peregrinationis vice aliquot mensibus ab hominum consortio disiunctam vino, omníque, prǽter quam panis, esculento abstinere sinerent, quod hucusque præ pudore domi, certè in Curionis, Pædotribæ, ac necessariorum sinu continuerant, id tum foras, scilicet ad Robertū, Abbatem Fuscinacensem confugientes, extulere. Is enim gentilitio iure prædicti oppidi, partim dominus erat: vt qui é Cuciaca familia, regiis olim affinitatibus illustri, Lucemburgorúmque principum genus etiam attingente ortus: &

catholicæ

catholicæ religionis propugnator acerrimus esset. Ergò Petrum Motanũ in Valliacensi Suesionum cœnobio, Prædicatorij ordinis (vt vulgò loquimur) Fratrẽ, ad se percommodè (cum aliàs instãtibus aduẽtus dominici feriis illuc ecclesiastes designatus venisset) accitũ, muliérculam inuisere, eiúsq; fanatici furoris causas exquirere iubet. Cuius imperium vir pius cum sedulò exequitur, huic insidentem spiritum quis, & vnde esset rogat: Sum, inquit, materni huius fœminæ aui bonus genius: atqui (obiicit Dominicanus,) non solent istiusmodi genij humana corpora ingredi: vt neque sum, excipit ille, hoc ingressus: tum Frater, cur igitur fœmineo ore loqueris? non eo, ait, sed organo, quod permissu Dei huic insitum est, loquor. Iam ea variatio, se quiddam longè ab eo aliud, quod pridẽ simularat profitẽtis, Motano omnem eius, quod ominabatur, dubitationem sustulit. Ab hoc itaque pridie calẽdas Decembres mulier in templum ducta est, vt cum illo spiritu exorcismis ageretur. Ne multa, per sanctissimũ Domini nostri IESV CHRISTI

nomen adiuratus, se Beelzebulem, dęmoniorum principem esse statim confessus est: quinetiam eos, qui ad exoluenda vota peregrè profecti erant, tãquam sibi dicto audientes, vltrò, ac nominatim cauillatus est: neque se eiusmodi adiurationibus quieturum dixit, quod & præstitit, vt euentus etiam ipse docuit. Reducta domum energumena, parentum custodię relinquitur: sed quos actutum spiritus nequam dolis aggreditur, alio nimirùm dæmone subornato, qui circumforanei personam indutus, seorsum aditis minimè malis hominibus, curationem natæ, sibi interim per omnia morem gesturæ, pacta mercede repromitteret. Quod vbi factum fuisse, ipsúmque stipulatorem, abnegato Baltasonis nomine, quo, à socio appellatus esset, ex eorum, qui tum aderant, oculis euanuisse resciuit Motanus: grauiter increpitos, quòd in re tanta neque se, neque alium è clero vllum in consilium adhibuissent, eos commonuit, vt in posterum proli suæ diligentius inuigilarent. Ex illo verò tempore diabolus in hospitem suam licentiùs agere, modò fœ

dè

dè pertractã ſub depreſſo cubilis fulcro anguſtè recondere, modò veloci parietis intermedij trãſſultu in vicinum Petri Macretij hortum deferre, ac contiguæ huic caſulæ, vnde vix puerili indicio abducta ſit, obſerare: denique ab imo ſolo ad ſupremum habitationis ſolarium renitententem euehere. Proinde propinquorũ fidiſſimi domeſticis additi, qui pro tutela ipſius noctu, diúque excubarẽt. Cęterùm illo nihilo ſecius graſſante, & ita muliebre corpus affligante, vt nitor ille formę, & puellaris illa oris ſpecies in deforme ſpectaculum verteretur, ſępius, at fruſtrà, à Dominicano repetita adiuratio eſt, negante Beelzebule, ſe ab vllo alio de poſſeſſione ſua deiici deturbaríque poſſe, quàm ab vno aliquo, qui tum in regio comitatu eſſet. Quod dictũ vulgò de Ioanne Burſio, nuper & meritò ad Laudunenſis Epiſcopatus dignitatem euecto, & ad aulam authorãdæ dignitatis gratia profecto, intellectum eſt. Addebat pręterea multa, ſe impulſore, inibi, totóque eo in agro nefariè perpetrata eſſe. Cuius rei duorum hominum in vicina ſylua recens cæſorũ

cadauera, missis ad id conquisitoribus, inuenta, fidem fecere. Plurima quoque occulta facinora non tam ex indicatorum oris pallore, quàm concurrentibus eò argumentis retegere visus est. Interea loci Motanus ægram, ne miseria & labore fatisceret, néue prauis obsessoris sui inductionibus salutem desperaret, verbis cùm lenissimis consolari, tum grauissimis cohortari, proximúmque Episcopi aduentum, in quem veluti sua captiuæ libertas dilata foret, polliceri non desinebat. Cuius diem veterator, quò vim pontificiam quadam sui fiducia eleuaret, vltro editis eorum qui Bursium comitabantur nominibus, prenuntiabat. Quo demum obtingente, acrior pugna cum illo vicenos sibi socios (viribus ad hanc sustinendam forsan ampliandis,) asciscente, commissa est, quatenus tum primum Episcopi adiurationibus Beelzebul ipse cum manipularibus suis ex obsesso corpore abactus est. Re verò longius protracta: quòd profligatis ex muliebri corpore dæmonibus, eorum tamen in idem regressus subinde pateret: credo sic statuente Deo, eorum

vt

vt exitus amplitudine loci illuſtrior eſſet, Laudunũ Epiſcopus reuertitur. Cuciaco igitur viſum eſt, Nicolã primò Lyceſſam, deinde ad proxima quæque martyrũ, vbi potiſſimũ eorum reliquię colerẽtur, fana deducendã. Quo cũ auriga curſu in obiecti biuij compẽdioſiorem actũ directo properaret, ibi diabolo in ſinuoſiorẽ alterũ vt diuerteret iubẽti, ſimul ità vehiculum aggrauãti, vt nullis ęquorũ conatib⁹ moueri poſſet, parere ille coactus eſt. In cuius vici Mariano delubro, multis miraculis claro & nobili, efficaciſſimæ fuere Motani adiurationes. Nã huic ſemel atq; iterum roganti, quinam, quótve immundi ſpiritus fœmineũ corpus poſſiderent, quâmq; citò ex eo egreſſuri eſſent, ferociter reſponſum eſt in hęc verba. Núm abundè tibi eſt fratercule ſex & viginti exactos, me verò Beelzebulẽ cum tribus ſolùm ſociis Cerbero, Legione, & Aſtarotho reliquũ eſſe? Ex vndetriginta itaque dæmonibus, qui ſe principi illi adiunxerãt, ſoli tyrones, iíq; fortaſſis anonymi relictis quatuor veteranis, illicò pugna exceſſere: cũ interea Beelzebul ipſe, qui cæ-

teris tacẽtibus, quaſi illis imperaret, perpetuò ſermonem ſuſcipiebat, tantæ fugæ ſigna, poſcentem exorciſtam minimè fefellerit. Quæ enim ille, cũ ex mulieris corpore cacodæmones egreſſuri eſſent, euẽtura prædixerat, ea accidiſſe cũ multorũ aliorũ, tũ verò maximè ſancti Vincentij, apud Laudunũ Abbatis optimi, Gotthofredi Billij teſtimonio comprobatũ eſt: qui tũ fortè & opportunè ad arcendã nõnullorũ vim, qui Nicolã è medio quacũque ratione tollere cupiebãt, ſuperuenerat. Abies enim ex Theſaurarij myſtagogi horto radicitus euulſa eſt, & tres Ardoſiæ. hoc eſt, cęruleę eius petrę, quę Andiũ lapidicinis ſectilis effoditur, tęgulæ, cũ imbricati plũbi aliquãtulo è fani illius ſummo culmine decuſſę ſunt. Dęmoniaca porrò eodẽ, quo illuc aduecta fuerat, carro, cũ Catharina Vuillotia matre impoſita, Petropõtino martyrio tantiſper ſiſtitur, dũ Motanus altera, nec inefficaci adiuratione, cum ſceleratiſſimo illo quaternione, nono calẽd. Ianuarij colluctactus, inde Laudunũ petẽs, moueret. Quò quum tãdem cũ inauſpicato ſua comita-

tu

tu veſperè aduẽtaſſet, ad inſigne Porcellorũ diuertit. Enimuerò plus ſatis ingenioſis actionũ eccleſiaſticarũ interpretibus calũniãdi anſa hoc ſaltẽ adẽpta eſt, quòd non perinde facilè erat in publico illo diuerſorio, atq; Epiſcopi ædibus, quibus alioqui miſerabiles perſonas excipi par eſſet, impoſturã facere, atq; adeò factã obtegere. Inſequẽti verò die cœpta iu Laudunẽſi baſilica, quò quatuor circiter hominũ millia cõcurrerant, adiuratio eſt: Epiſcopoq; rogãti, qui, quótve noxij ſpiritꝰ muliebri in corpore adhuc reſiderẽt, à Beelzebule reſpõſum eſt, pridiano Motani apud Petropontẽ exorciſmo Legionẽ fugatũ eſſe: verũ nõ eandẽ fore triũ in primis veteranorũ, qui vtiq; ineluctabiles ſupereſſent, & tyronũ, quibus cũ ſolis ferè adhuc pugnatum eſſet, conditionem. Quę quidẽ viſu, & auditu inſolentia, ſtatim in reliquũ vulgus lõgè, latéque diſſeminata, nõ Laudunẽſes modò ciues, ſed & cũcta circùm municipia ad tãtę rei ſpectaculũ ità excitarũt, vt perendie tota illa baſilica, vel diœceſanarũ omniũ, quæ in Gallia noſtra iactantur, ſi paucas excepe-

ris, cũ area ipſa, tum penſilibus xyſtis, ſupernè cõcameratis capaciſſima, cõfluentibus vndique turbis cõpleretur : ob ídq; excitatũ in ea tabulatum ſit, vnde facilis omnibus huius, haudquaquã ludicrę ſcenæ proſpectus eſſet. Cęterùm ſimplex illa, & vnius formę prędictarũ cum cęteris adiurationũ deſcriptio ſtudioſè in hunc locũ, ne eadem ſæpius repeterẽ, collata, earũ vim maximã in ſacratiſſima Euchariſtia poſitã fuiſſe planiſſimũ fecerit. Sanè vt ſæuiſſimi iſti dæmones, ſibi permiſſi corporis quolibet organo abutẽtes, ad diuini nominis cũ dirarũ, vt fit, imprecatione inuocationẽ, obtruſúmque dominicæ crucis ſignũ cohorruerint: luſtralis aquę, quam benedictã vocant, aſperſionẽ crebro ſcreatu reſpuerint : & ad ſuorũ etiã infamiũ nominum in chartula ſcriptorũ ambuſtionẽ, (nequicquã ardẽtem cereũ, quo ea abolebantur, valido flatu ſuo extinguere conati,) vel dentium ſtridore, & crepitu, vel oris ad aures dehiſcente rictu infrenduerint: minima tamen illa eſſe videantur, ſi cum his contuleris, quæ adiutatoriam Euchariſtiæ exhibitionem conſecuta

ſecuta ſunt: tantis ſpondylorum, lacertorum, & tibiarum cõtortionibus, quas ne ab agiliſimo quidem Ludione expreſſeris, ſummum ſuum dolorem teſtati ſunt. Mitto, furiata qualibet acceſſione, truces, & toruos, atque adeò flammatos Nicolæ oculos, turpitérque exertã ad imũ mentum linguam, & ſubitam ſereni totius eius vultus, in truculentum tigridis, ſimiliſve alterius alicuius feræ obtutum transformationẽ: vt ad ea præuertamur, quæ ingentem ſpectatoribus admirationem attulere. Cum enim impuri iſti ſpiritus ſiue ad tempus, ſiue poſtremùm abacti, quod vndeuicies eo in templo contigit, ex mulieris corpore diſcederẽt, quidã caro magis, quàm lethargo accedens, íſque per omnia membra diffuſus ſopor, cum inflexibili eorum contentione ſuccedebat: cui excutiendo nullum aliud neque præſenti⁹, neque efficacius remedium, quàm in diuiniſſima Euchariſtia Nicolæ labris propiùs admota, inuẽtum eſt. Siquidem mortuæ inſtar reſupinata, ad huius quippe præſentis numinis ſolũ contactum hiſcere, oculos aperire, reli-

quos ſubinde artus, excepto læuo brachio, quod tunc, vt in cæteris dilucidis interuallis obriguerat, mouere, ſéque leuato in cubitum corpore, Epiſcopi genibus aduoluere, gratanti denique dextera crucis ſignum fronti obducere palàm viſa, noſtris prę gaudio lachrymas excuſſit, qui planè lætitia exultarēt, ac Dei omnipotentiã in hoc mirabili ſacramēto magnificarent: Caluinianis contrà, qui illuc frequentes coierant, ringētibus, ac in re perſpicua ſubeſſe fucum nō obſcurè frementibus. Matutino itaque illo conuentu diſſoluto, vtrinq;, ex Catholicis, & hęreticis medici duo, qui naturales tāti furoris, ſi quæ eſſent, cauſſas bona fide inquirerēt, delecti, ſeſe vnà cum chirurgo, aliis etiam adhibitis arbitris, ad Porcellorum diuerſorium contulere: vbi Nicolam, morbo commodùm intermittente, quieſcentem nacti, primùm ſiniſtri illius brachij, aliàs in ipſis paroxyſmis petulantiſſimi, torpedinem, muſculis arctè conſtrictis, necnon aciculis inter ſummam digitorum cutem & vngues adactis, excitare fruſtra nixi ſunt: deinde librato ar-

teriarum

teriarum pulſu, preſſóque cum Cephalica, Baſilica, & Mediana venis, ſiniſtro hypochondrio (tuber interim caput, graues oculos, ſuccoſámque linguam cum immodicis illis vexationibus conferentes,) reliquum corporis habitum non malum eſſe cenſuerunt. Adhæc, aſtãtem Catharinam, Nicolæ matrem, de multis rogantes, ipſa natalitium filiæ diem, qui tamen ad ſedecimum retrocederet annum, deſignare ſe poſſe negauit. Eam autem neque muliebribus, neque hæmorrhoidib⁹ vnquam laboraſſe reſpondit: pro parentum verò facultatibus liberaliter educatam, veruecina alitam nutritámque: ſeptennem domo ad Monſtrolij dominarũ (quod vocitant,) monaſterium ablegatã, vix octonis annis, quibus ea ibi egit, à virginibus literas coagmentare edoctam: Cæterùm ſua ſponte, & natura pro rudiore, & pinguiore eius ingenio hilarem, ridibundam, & cum ſuis æqualibus feſtiuè dicaculam eſſe. Quæ partim vera cũ ex tempore facto literarij Nicolæ profect⁹ periculo, medici cognoſcerent: ideóque de ceteris Catharinæ dictis fidẽ ha-

berẽt, vt natam veſtimẽtis exueret, mollique ſtrato imponeret, iuſſerũt: atque vt aliquid etiam certius abſtruſiúſve accurata obſeruatione detegerent, ad lecti ſpondam pernoctare decreuerunt. Iacẽtem verò arctior ſolito ſomnus complectens, cum ad diluculum ferè perduxiſſet, haud ità multò pòſt tintinabulo exciti laïci cuſtodes, in quibus Ludouicus Eua, medicus & fide, & doctrina præſtãs, Pelleterio ac Raſſeo canonicis relictis, ſe ad antelucanum ſacrum (nam & hic dies dominicus erat,) proripuerunt: quo peracto, iidem properè ad cœptum reuerſi, Nicolam furiis agitatam, ac tripedali plus quàm ſaltu, in eorum, qui cum ea remanſerant, colla inuadentem offenderunt: quam tandem ægrè collatis viribus retruſam lectulo tãdiu continuerũt, dum recidiuus, etiã extra adiurationes, ſopor eam occuparet. Tum vero medici tempeſtiuè oblatam occaſionem arripientes, per omnia (ne pilorum circa axillas & pudenda vellicationem, aſperas frictiones, acerbóſque ſuffitus morer,) tormenta in demortuum veluti corpus deſæuierunt:

ſæuierunt: cúmque omnem hîc operam luſiſſent, de eo denique quod poſtremũ tentaſſent, rogati, nihil iam ſibi ſupereſſe artis reſponderunt, quod ad eius ſalutem cõferre putarẽt. veruntamen matri duos illos piæ, ac ſynceræ mentis canonicos enixiùs orãti, vt ſuo itidem munere fungerentur: ſæpiùs nanque filiam à ſe ſummis precibus cõtendiſſe, vt ſic inſtupenti euchariſtiam porrigi curaret, quòd interea dæmon pectori eius grauiter incũbere, multóſque aureos numos trutina appendere videretur, quos ipſi, ſi in illius verba iuraret, polliceretur, perdiu obſtitere hæretici, aſſerentes ſe canonicis illis haud vltrà conceſſuros, vt alia, quàm nõ conſecrata (ſic enim loquebãtur,) hoſtia vterentur. Quin, aiebant noſtri, azimum ſimile cruſtum, (quod Herbinus quidam raptim quæſierat) oſtentãtes, vos ipſi potius, quod aliis arrogãter præſcribitis, facinus aggredimini. cúmque ij ſe oblatũ tangere nolle, ne hinc ſcilicet polluerentur, dicerent, dirimendæ, quæ incaleſcebat, liti aduocatus iudex, quanquam illarum partium, re cognita, iámque iis ſe, ſi

quid ſecus ſtatueret, protinus abituros comminantibus, ite licet, inquit: ſimul canonicos intuitus, vobis verò ſuus, quandoquidem nil in medicis opis eſt, experiundi locus eſto. At illi ſubitò mutata voluntate, exitum rei expectantes, quod minimè cupiebant, experrectam Nicolã ſtatim appoſita labris Euchariſtia, viderunt. Quo miraculo attonitum alterum magni (vt perhibẽt,) nominis medicum, primò ſe nõ id hominũ, ſed Dei opus eſſe credere, & id eò magis cenſendum eſſe, quòd in tenello adeò corpore nullum aſperrimarum ligaturarum, ſimul atque ſublatæ eſſent, veſtigium extaret, dixiſſe, verùm poſteà, quòd hoc ingenuè dicto in cuiuſdam ſacerdotiis opulenti apoſtatæ odium incurriſſet, recãtaſſe, mihi quidam, qui ſe illum neceſſitudine propius contingere dicunt, ſeriò retulere. Exinde cum multum iam diei eſſet, hac iterum in theatrũ producta, Aſtarothus Epiſcopi adiurationibus cedere coactus, vitreũ turris, in laternæ ſpeciem feneſtratę, medióque tecto prominentis, ſeſquiquadrũ effregit: quod euidens perpetuæ ſuæ abitionis

tionis ſignum fore Beelzebul prædixerat. Qua re commotior hęreticorum factio, dira in miſellæ caput moliri cœpit: ac neſcio quem Laudunenſis curiæ iuridicum eò temeritatis prouexit, vt nocte ingruente Nicolam, ementito Epiſcopi nomine, è matris, maritíque ſinu abſtractã, in obſcurum carcerem compingeret. Et de ea procul dubio actum erat, ni vir fortiſſimus Christophorus Hericurtius, maioris eccleſię decanus, grauē Burſij, multis tunc vigiliis, ac ieiuniis confecti, ſommum interrumpere veritus, lõga cum illo iudice concertatione tandem id eſſet conſecutus, vt vnà cum eo & ipſe, & alij plures vtrinque delecti vigiles reſiduum noctis in cuſtodia tranſigerẽt. Cubantem verò Nicolam cum diuturnior heſterno ſomnus ad auroram tenuiſſet, nonnullis, qui aderant, ioculariter de dæmone, tanquam animi cauſſa longiùs ſpatiãte, cum eos intereà in carcere reliquiſſet, querentibus, lupus (quod dicitur,) in fabula fuit. Extemplò enim cubitu ſurgens, furénſque mulier in medicaſtri cuiuſdã caput inuolauit, quod pugnis, ſed haud impu-

ne (cum par pari referret,) contudit, dum in ſtuporem ſolitum relapſa procumberet, cum priùs ex eius ore egreſſus eſſet, aut ex puluinari (vtrunque enim in duobus memorialibus ſcriptis reperi,) ſubſiliiſſet ſcarabeus, qui in Nicolai Spinoſij manum palàm, magnóque ipſius iudicis modò Chriſtum, modò Satanam inclamantis metu, perreptare, mox inter conſidẽtes dilabi viſus eſt. Hunc autem Spinoſium prouectę iam ætatis canonicum, haud ita pridèm Burſius, quaſi Nicolæ curatorem Motano ſuffecerat. Quanuis enim operam in hac obſeruanda egregiam, quinetiam Deo dante, à viginti ſeptem dæmonibus liberãda, piam & ſynceram Dominicanus contuliſſet, nihilominus retũdendam eam calumniam eſſe duxit, qua perinde, atque ſi Circe filiam magicis artibus induxiſſet, ab aduerſariis audacter mẽdicantium ordinem deſpicantibus, impetitus erat: eadẽ quoque Burſium exagitaturi, niſi eos, ne id auderent, ſumma eius dignitas, morum integritas, ductíque ex Gẽneſia Ambianorum nobilitate generis claritudo deterruiſſet.

fuisset. Sanè, vt ad institutum redeam, nihil non ex composito hîc à dæmone gestum fuisse inde suspicor, quòd is omniũ flagitiorum conscius, os muliebre sic antea furiata qualibet accessione pressum, vt vi nulla diduci posset, tum primùm patens reliquerit: quò scilicet in id mortiferam potionem perfidus ille medicaster clam Petro Miautio, probioris notæ medico, coniiceret. Quod nequiter factum instantibus nostris, ac de neglecto, quem ei adhibuerant, socio iure expostulantibus, cùm è diuerso se quicquam porrexisse, quod non sibi sumeret, prolata ad hoc phiala, albo quodam liquore, velut ei, quem infuderat, simili repleta, pernegasset, coràm omnibus, & in prõptu mõstrata huius subnigri, ac graueolentis parte, quæ prono mulieris gutture in terram fortè deciderat, manifesti doli, & mẽdacij conuictus est. Nihil tamẽ proiecti pudoris homo inexpertum omisit, quò sopitum mulieris corpus, perinde ac si scelerati sui consilij, & conscientiæ notæ in eius ore non deprehenderẽtur, excitaret: neque prius vanis illis conatibus destitit,

quàm ſacerdotibus loco cedere iuſſus, ſe ex carceris cubiculo in proximam areolam proripuiſſet, vbi aliquantiſper accẽſum cereolũ manu geſtans aſſultim tripudiaret. Sacerdotes verò, cum hæretici ſubitò illinc diffugiſſent, ne omnium in oculis ſui erroris & amentiæ conuincerentur, Nicolæ ſalutare viaticum dederunt. Quæ gratiis de more Deo actis exurgens, ſed ingenti prius imo de pectore gemitu ducto, hæc prolocuta, Hẽ quod mihi poculum miſerę, quo deuror, diluiſtis! deinde de repentè procidens, mirum dictu, incolumi intúſque permanente ſacro illo cibo, maximam venenatę potionis partem euomuit. Vellem equidẽ noſtris potius in mentem veniſſet, vt hoc quicquid erat medicatæ potionis, quod ipſa vomuit, vt quibus ex pharmacis cõfecta erat, ſciretur, ſublegiſſẽt, quàm paulò poſt, plenóque theatro dæmonem de eo eſſent percontati. Perrarò enim accidit, vt dæmon in eiuſmodi exquirendis plus ęquo curioſum non ludificetur. Cuius etiam rei gnarus Epiſcopus, vltrò garrientem, ac multorum (vt plerique rebãtur)

tur) arcana efferentem perſæpe vanitatis arguens, execratoria interminatione ſilentium ei imperauit. Quoquo ſeſe modo res habeat, quod à Beelzebule reſpõſum eſt, & Nicolæ ipſius gemitu firmatum, ex viginti illoti ſtibij paſtillis (antimonij grana vocãt, antimonium pro artimonio vſurpantes) hyſſopi, roris marini, ac petrolei promiſcua aqua dilutis confectam potionem fuiſſe: id profectò à fide iis abhorrere non videbitur, qui ſtibium in plumboſiſſima ſua fece virulentiſſimum eſſe, petrolinæ verò aquæ tantum eſſe feruorem, vt vola aliquãdiu retenta, manum ipſam ad ſummam cutim terebret, nouerint. Ac vt dæmonem de octo tãtum paſtillis retuliſſe contrà actorum publicorum fidem concedamus, is tamen modus cum reliquis pharmacis, vel ſine illis hauſtus, mulierculã (niſi vomitio pro antidoto fuiſſet) continuò examinaſſet. Rurſum quod ab illo, medicaſtrum nominatim deſignante, adiectum eſt, non præteriturum triennium, quin ipſe ſuperorum & inferorum cõtemptor dæmones eſſe experiretur, ac iam vnum

ex gregalibus eius corpus ſcarabei forma ſubiiſſe, huius nominis Beelzebul etymon tenentibus, nec qua mentis alienatione trepidauerit, ſcientibus, non modicum horrorem forſitàn incutiat. Verùm iſtum irati Æſculapij anguem miſſum facientes, illuc, vnde digreſſi ſumus, reuertamur. Cum igitur quę conſilia de detrahenda tãto miraculo fide ſceleratè iniiſſent, ea in hunc diem præpoſterè ſibi ceſſiſſe viderẽt, ipſi noſtris Nicolam, vt quò vellent abducerent, permiſerunt. Quæ Burſio renũtiata cum eſſent, maior eum cupido gratias Chriſto agendi, quòd eccleſiæ catholicæ cauſſam nõ deſeruiſſet, quàm eis, qui in hac oppugnãda ſuo, hoc eſt, Epiſcopi nomine impudenter abuſi erant, ſuccenſendi, inceſſit. Publica itaque in ſingulos dies totius Laudunenſis cleri ſupplicatio, qua energumena ponè opacatam vmbella Euchariſtiã per omnes vrbis vias geſtaretur, cum theologica cõcione decreta eſt, indictúmque ieiuniũ, & vt populus Deo vota faceret, imperatum. Ex quinto itaque calendarum Februarij hac ſupplicationum & cõcio-

num

num adiectione duplicari cœpta cuiusq; exorcismi cæremonia est: cum anteà vnicus eius, quando ab Episcopo res diuina fieret, præparatus esset: nihílque amplius eo die, quàm superioribus duobus effectum est, præter quàm quod Beelzebul ipse, & Cerberus è mulieris soporato corpore ad tẽpus excedere coacti sunt. Post meridiem verò cum fama totam vrbem peruasisset, hęreticos sub noctem admotis scalis in Nicolæ cœnaculum irrupturos, Bursius de Hericurtij, & eius sodaliũ canonicorum, quorũ cõsilium & authoritas magis polleret, sententia, tantam audaciam contundendam, eamq; cum suò comitatu in tutissimum locum deducẽdam esse censuit: cuiusmodi Hospitaliorum, vt vocant, diui Ioannis Hierosolymitani domus opportuna in primis visa est: quam non illibenter Bursio roganti eius fiduciarius possessor Petrus Spifama commodauit. Is inter Melitenses equites cum perpetua in omni vita ęquabilitate, tum suo splendore spectabilis, nõ exhaustos solùm sumptibus hospites benignè accepit, sed & omni commeatu, ingra-

uescente etiam annona, prolixè iuuit, & à penuria sartos tectósque præstitit. Adductus deinde ornatissimi, quod illis in ædibus erat, sacrarij, & loci opportunitate Bursius, vt eum, quem animo præceperat, miscendi in confertissimum adeò comitium tumultus metum demeret, cum tabulatum illud, quod antea excitatum fuerat deiici iussisset, eo ipso in loco postridiè manè pari, quo die superiore, euẽtu cum Beelzebule, & Cerbero conflixit: illo vociferáte periniquum fore, si secum, qui secundas, & cum Cerbero, qui tertias à Lucifero partes teneret, maximè cum alij longè se inferiores in propatulo exacti essent, dei gloria hactenus obscurata, in latibulo depugnaret. Potentioribus verò solis in sacram ædiculam *introductis*, ingens plebeculæ, præsertim rusticanæ, se eo spectaculo, cuius gratia ex agris in vrbem concurrerat, arceri ęgrè ferẽtis fremitus subortus est: hæreticis contrà plaudentibus, & triumphũ, quasi quęsito à nostris componendæ fallaciæ angulo, canentibus. Quæ maturè animaduersa Bursium reducto calculo impulerunt,

runt, vt tabulatum, quod deiecerat, mox eodem conſpicuo templi loco reſtitueret, & eò poſtridie Nicolam produceret. Sed nihilo ſecundiorē res exitum proximo habuit. negabat enim veterator Beelzebul ſe ex corpore, quod inſederat, migraturum, propterea quòd & nouiſſimā adiurationē in operto fuiſſe, & energumenę omiſſam in eius diei ſupplicatione per vrbis vicos circunductionem cauſificabatur. Etſi enim ex cōpacto alter poſtridiè, alter verò intrà triduum abiturus erat, duorum tamen vtrique dierum his duabus de cauſſis decedēdi prorogatum eſſe tempus, vt antè diem tertium Cerberus, ipſe verò ante quintum ex energumenæ corpore egreſſurus non eſſet. Nec verò noſtros euentus ipſe fefellit. Nam cum Cerberus pridie calēdas Februarij, ipſiſque calendis temporario ex eius corpore egreſſu potentiſſimam Euchariſtiæ vim vitauiſſet: poſtridiè tandem Marianę purificationis die feſto, duo vitrea ſpecularis aræ maximæ, quà ad læuam ipſa ara illuſtratur à ſole, quadra ingenti fragore confregit, & è ſummo tecti faſtigio

plumbi partim eliquati massam in subiectas templi pinnas, quò perpetuum suum discessum (vt paulo antè Beelzebul futurum prædixerat) testaretur, deiecit. Vnus itaque Beelzebul, expulsis contubernalibus, relictus corporis Nicolæ obsessor, iã iámque stationem deserturus, quãquam altum corde dolorẽ premere videretur, vt ex ipsius energumenæ fronte & vultu deprehendebatur: ipse tamen, tanquam re præclarè gesta exultans, diem festum Marianę purificationis ridere, cereorum gestationem ludibrio habere, illos propterea, quòd teretes, vti ego arbitror, & lutei, rubríue essent coloris, pastinacas vocare, dicteria in hos & illos iacere, variis denique cum in præsentes, tum absentes criminationibus vti, populúmq; à castis precibus, & Dei cultu huiusmodi vocibus aures patefacientem auocare. Cum verò certorum etiam hominum vix vllis expianda lustrationibus facinora, & sceleratissimã contra Spifamam, & Caluellum præfectum vigilum conspiratione (veréne an falsò incertum) proferret, illíque ab Episcopo ingenita vanitas obiiceretur,

ceretur, ipse sibi quidem haud insitã, sed nonnunquã tamen precariam veritatem esse respondit. Quod quanquam recenti Cerberi depulsione probabile esse videretur, & Beelzebul ipse promissa patrasset, callidi tamẽ dæmonis fraudes & fallacias reformidans Bursius, acriùs instandum, & cœptum certamen ne momento quidèm tẽporis remittendũ esse existimauit. Sed nihil huiusce diei pomeridiana, neque insequentis matutina adiuratione amplius promotum est, quàm sex id genus aliis, duabus tertiã, & quatuor octauam præcedẽtibus. Et ne dominico illo die adiuratio repeteretur, literæ Rectoris prouinciæ nomine Episcopo redditæ, quibus theatrales adiurationes, publicásque supplicationes vetabat, & ne in posterum fierent, ne qua ex ea re seditio oriretur, imperabat, in causa fuere. Sed illas Bursius in proposito, susceptóque cõsilio permanens, recentísque cum infimæ plebis fremitus, tum aduersariorũ plausus memor, nulla ratione omittẽdas, tẽplíque ipsius ambitu supplicationes circumscribendas esse duxit. Postri-

die verò diabolus eas literas adulterinas esse certò affirmauit, editis eius, qui illas episcopo reddidisset, & illius, qui exarasset, nominibus: húncque multum studij & operæ, vt Polemarchi Mommorancij chirographum imitaretur, posuisse, atque ex germanis literis, quę aliis de rebus aliàs ab illo fuissent scriptæ, integro & illibato sigilli eius, quo literæ erãt impressæ, charactere, in adulterinas ceram trãslatam: illum verò ocreis cœno deturpatis, domíque indutis, tanquam longam viam confecisset: cum multos tamen dies vix pedem limine extulisset, Episcopo reddidisse: huic denique, vt diabolum mendacij, si fieri posset, conuinceret, roganti, vtro ostio, cum gemina esset ianua, quisquis tandem is fuit, qui literas ad se pertulisset, cubiculũ suum esset ingressus, illũ peruio vestiario ad eũ penetrasse nõ temerè respondit. Sed pone literas à Polemarcho scriptas fuisse, vt Episcopo redderẽtur: ego tamen existimarim istos, qui tũ maximè quum in noxia sunt, obgãnire consueuerunt, clarissimo viro obrepsisse, ab eóque tãdem illas, sed

serius

ſerius quàm volebant, expreſſiſſe, atque interea verarum loco adulterinas ſuppoſuiſſe. Quis enim credat dæmonem falſa in ſuum caput aſtruere voluiſſe, vt facere viſus eſſet, ſi Epiſcopus longè moleſtiſſimas diabolo ſupplicationes, quod retecto eo cõmento, ſtatim facturus credebatur, inſtauraſſet? Nec huic cõiecturæ noſtræ obeſt, quòd eam fabricam, nemine impellente, dęmõ retexit. ab ſe nãque inuitiſſimo, quippe ſummi imperatoris iuſſu vique adacto, pleráque exprimi, quæ aliàs perpetuo ſilentio obruturus erat, palàm gemens frendénſque cõqueſtus eſt. Poſtridie verò repetitæ, & ad quatriduum, hoc eſt, à nonis ad ſextum iduum Februarij, nullo diurno, præterquam ſtatarum in eccleſia precum, & prandii ſpatio interiecto, octonæ, nouenæ've adiurationes factæ ſunt. Nã nouiſſimo cum Beelzebule congreſſu, mirabili quodam, & inopinato è muliebri corpore egrediendi, ac in ipſum ſubinde regrediẽdi ſtratagemate pugna recruduit: ſanè turbulentum, ob cuiuſdam herili potentia ſtolidè freti proteruiam, exitũ ha-

bitura. Is plerísque eucharistiam adorantibus, non modo caput aperire dedignatus est, sed & vltrò nostris idololatriam ac præstigias obiecit, haud diu id impunè laturus, nisi Episcopus plebeculã rei indignitate commotam, vti conquiesceret, suámque iracundiam præsenti numini remitteret obtestans, diabolicæ fraudis sua sponte discordias serentis admonuisset: & Antonius Dulcius eã furentẽ, vecordi illo protin⁹ abrepto, & in custodiã misso compescuisset. Hic enim Laudunensium Iuridicorum lectissimus, media area non procul ab impio isto fortè substiterat: cum in ambonem locum sibi & collegis definitum, ob confertissimam turbam prosilire nequiuisset. Nam dęmõ se non antè prędam de manibus emissurum, quàm omnes magistratus cum ecclesiasticis dignitatibus adessent, pridiè Bursio denunciarat: & absentem vrbe Archidiaconum, nõnullósque iuridicos à catholica religione adeò alienos, vt se hanc speciem ferre posse negarent, obstinatè depoposcerat. Neque enim suum ex mulieris corpore discessum, ad dei

omnipotentis gloriam ſpectantem, ſatis condignè Regi teſtatũ eſſe poſſe: & hoc præterea ad ſuã dignitatem pertinere dictabat: cõtrà Epiſcopo arrogãtem verbis obterẽte, & eò deprimente, vt vel ab infimo quouis exorciſta profligari poſſe contenderet. A' quo etiã eius abitus ſignum rogatus, multò citiùs, quàm vellet affuturũ, ac tum primùm ſe Nicolæ flatu ſuo cereũ extincturę, ſiniſtri brachij vſum reſtituturũ, quæ tamen ideò non omnibus malis defũgeretur, reſpõdit. Atqui facilẽ decurtato cerei ellychnio impoſturã hęretici iuridicis proponentes, quinque ex pręſidiali curia cautores, vt fraus dolúſve abeſſet, id etiã efflagitante Burſio, obtinuerũt. Cum igitur hi aliũ cereum è prætorij ſacello ſublatũ, eius, qui legẽdis exorciſmorũ formulis anteà illuxerat, loco ſubſtituiſſent, atque is paulò poſt à Nicola eminus proflãte extinctus eſſet, cõſecutione partis, reliquum ſigni mox euenturum confidens Burſius, bono animo circunſtãtes eſſe iuſſit, victoriã, ſi paulũ modò anniterẽtur, pro foribus ſtare denunciãs: ſéque interim ſic ad quoſlibet ener-

gumenę tergũ oblatæ euchariſtiæ ſubindè obuertentis, motus circumagens, vt Beelzebul defeſſo ac lãguenti ſimilis, aliquandiu immotus cõſtiterit, turbámque in preces effuſam, ac denſius humi procumbentẽ, limis oculis deſpectarit: denique recepto velut anhelitu, ad furias deintegro verſus, miſellæ corpus adeò exagitarit, vt nunquã tot tormentis ſuffecturam, quin iis potius omniũ in conſpectu ſuccubiturã, quotquot fidelium aderant, hubertim flentes arbitrarẽtur. Quæ tandem cum diuiná ope pertuliſſet, ingenti fragore edito, templíque ipſius teſtudine atra caligine quoquouerſum offuſa, muſcarius ille è diutina corpuſculi poſſeſſione ægrè detractus, in ſummũ tintinabulariæ turris faſtigiũ euaſiſſe hinc creditus eſt, quòd hanc nonnulli viatores, dũ hæc agerentur, ſe è proximo rure fumo conſperſam, mixtíſque flammis collucẽtem proſpexiſſe, ſimul duplicem tonitrus ſonitum exaudiſſe, quî, & vnde id accidiſſet ſedulò percontantes, retulere. Iam verò Nicola non, vt antea cum dæmon ex eius corpore abſcederet, in ſtuporẽ ſolitum

tum relapſa, ſed vtrunque brachium nūc ſuſtollente, nunc inflectente, iiſque oblatum dominicæ crucis ſignum ità amplexāte, vt vix ab eo diuelleretur, tātus plaudentis plebis clamor exortus eſt, maximè cùm ad eam conuerſa, naturalem, id eſt, ſubrubenti cādore ſerennm, glaucíſque oculis micātem vultum protuliſſet, vt præ gaudio ipſa ſui impos eſſe videretur: mirarique ſubit, populi neque ſtudiū neque curam tot fruſtrationibus, crebríſue ab re familiari auocamentis elanguiſſe: vt intereà omittam quot moleſtias diriſſimi hoſpitis in vrbem aduentus ciuibus aſperſerit, quarum multitudo diligētiſſimo etiam cuique, nedū mihi numerū facilè ſubduxerit. Ex his igitur inſigniores aliquas ſtrictim percurrere ſufficiat. Is catholicos peroſus, cum primis Burſio, Billio, & Hericurtio (quorum egregia virt⁹ tota iſta actione enituit,) ità infenſus erat, vt pleno theatro diſertè in eorū capita, vel incolumi reliquo cœtu, fulmen deuolui imprecaretur. Hunc domi cum amicis cœnantem, primùm auditus grauis, tanquam ſaxi ſupernè ruentis crepi-

tus non magis mouerat, quàm si is fortuito felium in horreo grassantium impulsu contigisset: mox geminus idémque acutissimus ærei polubri tinnitus, cum ingrato auribus sibilo secutus, importunum conuiuis assеclam, tum ipsi alias sub conticinium camino excita absque vlla ligni, alteriúsve rei materia flamma præproperum: denique ridicula gestatorij horologij rotulis & axiculis introrsus elocatis dissolutio, inofficiosum cubicularium adesse significauerat. Billij verò non aulæa modò vstulârat, verùm etiam noctu stabulum ingressus, agasones exurdârat, simul & equos, detracto singulis capistro, multo cũ strepitu, fremitúve in proximam aream emiserat. Bursium porrò leuiter vltus esset, si hactenus cõstitisset, vt in Sanctoquĩtini suburbiũ, multis Lauduno milliaribus distans procurreret, ibíque dotalis Insulari monasterio villę chortales gallinas, vel eo ipso temporis puncto, quo suum hoc ludicrum facinus, Episcopo illum adiuranti, indicauit, solùm abegisset: nec preterea intempestiuo, ac terrifico cubicularis ostij impulsu dormientem

mientem excitasset: Quod & Vreuini quoque factũ fuisse constat, maximo Ioannis Vallensis pauore, licet ipse eodem, quo securioris animi collega Gulielmus Caligarius, (ambos enim canonicos, neque indoctos theologos illuc secum Episcop⁹ pertraxerat,) lecto discubaret. Nec istis modò, sed & cunctis ferè aliis Laudunensis ecclesiæ ministris improbus excubitor fuit, effictis nocte concubia, vel luporum vlulatibus, vel equorum hinnitibus, vel quibuslibet cæterarum cùm ferarum tum cicurum animalium absonis vocibus, quibus neminem quietum somnum capere patiebatur. Interdiu verò per exertam Nicolæ linguam, sua quibusque fœda & turpia vitia, ad superstitionem vsque seuerus exprobrabat, vel eo solum nomine quendam obiurgans, quòd paulò pòst, quàm numeratam à debitore pecuniam accepisset, is sacris operaretur. Obstruendo itaque conuitiatoris istius ori, vnicum in exomologesi, veluti quæuis peccata obliterante, remedium cognitum est. Atque cum is aliquando Bursio sese ad exorcisimum ac-

cingenti obiecisset, eum lustralem confessionem non fecisse, simplicique inficiatione Bursius quod obiiciebatur, elusisset, non apud sacerdotem, inquit, tui indicium fecisti. Quibus haud dubiè auricularis confessionis vim verbo ostendere voluit, quæ antea quanta esset, re etiam ipsa docuerat, cum capitales eorum animę fraudes non proderet, qui arcana cõfessione vitæ sordes eluissent: vt ipse quoque dominici corporis & sanguinis in eucharistia præsentiam fateri visus est, cum Episcopo roganti, cur sacram eucharistiã per deridiculum Ioannem Album vocitaret, ad cuius tamen solum conspectum ità trepidaret, atq; horresceret: ipse quinquies in ea *Hoc*, inesse respondit: nõ obscurè his verbis: *Hoc est corpus meum*, quibus etiã in decima sexta adiuratione explicitè vsus erat, significãs, sacram eucharistiam confici. Quò etiam pertinere videntur furibundę ad quamlibet eucharistiæ in quauis non modo adiuratione exhibitionem, verùm etiã cùm sacrum fieret, ad eius, vt loquimur, eleuationẽ, dæmonis in muliebre corpus desęuientis, ac

veluti

veluti inſiſtenti numini repugnantis exagitationes:tum Energumena horrifico illo ſuo vultu terrorem omnibus incutiente,ſurſúmque corpus ita iactante, vt penè cuſtodum validas manus eluctari,iam iámque magnum aliquot facinus patratura,ex illis elabi videretur. Cæterùm ad has moleſtias leniendas iucunda quædã ipſo cum dictorum, tum factorũ memorabiliũ ſtupore acceſſere. Hæc ſiquidem cognatorũ humeris ſublata, vicatimque circũducta, Sanctoquintiniano cuidam mercatori latens equi vitiũ(cuius vẽdendi cauſſa illuc partim venerat) nẽpe inito quouis itinere ſtrenuè incedentis, ſed eo aliquantulum emenſo, valdè claudicantis,palàm exprobrauit.Vgonotorũ (quo trito vſitatóque vocabulo Caluinianos deſignabat)domos obiter digitóque commonſtrauit:& multorum cuiuſque conditionis, ſexus, & ætatis ciuium motus, geſtus, perſonas, ac etiam ſermones mimicum in modum imitata eſt. Franciſco Fauierio Minorita extrema templi area concionante,eadem aduerſa parte,ne cõcioni aſtreperet,ſubducta, cum de more

obtorpuiſſet, ſubitóque ad eam Epiſcopo cum Euchariſtia accurrente, ſurrexiſſet, rogatus ab eo dęmon, quò intereà ſpatiatum iuiſſet, non ſpatiatũ, inquit, iuerã, ſed auditũ Franciſcanũ, qui quinto pro ſexto prioris Regum libri capite citato, hallucinatus eſt. Quod non temerè ab eo dictum poſteà attẽtiores quidam huius docti alioqui theologi auditores retulere. Habita concione, cùm primum res diuina fieri cœpit, dæmoniaca in tabulatum producta, omnium, qui à quibuſuis prouincialibus factione & potentia principibus eò miſſi erãt, vt quæ agerentur obſeruarent, vel, quod magis credas, manifeſta calumnia eleuarent, vt quique templum ingreſſi ſe turbę inſeruiſſent nomina & prænomina edebat. Quendam verò, quẽ cõcioni paulò antè Creſpij Laudunenſiũ habitæ, (nã Valeſiorũ etiam Creſpium eſt) numero triceſimum interfuiſſe dicebat, cum magna voce inclamaſſet: atque is factum, quod omnes latebat, minimè inficiatus, aliquem præterea ſibi, ſociiſque iuxtâ ignotum, ſed viridi veſtitu inſignem illuc acceſſiſſe ſuppreſſa voce,

vt à

vt à paucis circunſtantibus exaudiretur, adiecisſet: quippe, addit auritisſimus, vobis ipſe illo cultu aderam. Nec reticendę ſunt ipſius ſuprà humanum captum notiones, quibus aut Tenellio equiti tũ primùm, cuias vterini fratris famulus, quem ſecũ eo fortè duxerat, eſſet, Flandrica lingua eũ cõpellans, qui anteà ſemper Theraſcanus habitus fuerat, indicauit: aut aniculę zonarij ſectoris furtũ cum ſubrepta pecunię ſummula patefecit: aut quãdo ſpectatorum vni energumenam è ſuperiore loco germanicè alloquẽti, Picardico ſermone appoſitè reſpõdit: aut noſtratis alicuius Theutonicum ſermonem aſperis & hiulcis vocibus ſcurriliter effingentis inſcitiam ſalſè deriſit: aut denique Billio in auerſa exurendæ chartulæ pagina, ſuum Beelzebul nomen inſcribenti, vltimam eius literã nequaquam tractim, ſed ductim exaratã fuiſſe veriſſimè dixit. Præ cæteris autem admirandæ adiurati illius reſponſiones fuere. Ad hunc enim locũ, *Ergo maledicte Diabole, recognoſce ſententiam tuam:* Iandiu, inquit, recognita eſt: atque perſequente Epiſcopo his verbis:

Et da honorem deo vero & viuo : nequaquã iſtud, ait, fecero: viciſſimq́ue infremens, ecquãdo mihi, inquit, debitum reddituri eſtis honorẽ? Porrò iubente vt miſſo mulieris corpore in profundum cum Satana abiret: nõ cum iſthoc, ait, meæ damnationis dies venit, cum toto triennio his in regionibus ſim graſſaturus. an neſcis ex Apocalypſi, illũ ab Angelo per mille annos alligatum fuiſſe? Rurſus Burſio aſſiduum in dæmoniaca curanda laborẽ exudanti illudens, quin tute, inquit, méque Mameiaci exemplo, tãta moleſtia ocyus liberas? Atque Epiſcopo percõtanti, quid his ſibi verbis vellet, Chalnienſis, inquit, oppidi miniſter, homuncionem, cui inſidebã, culeo incluſum, in Iſarę amnis profundo ſaxis aggrauãtibus, probè interim exorciſtę munere functus, demerſit. Quo dicto planè ſe ſubitariæ, ac violentę Nicolę mortis cupientem ſignificauit, tametſi eius ſalutis curam quodammodo gerere viſus eſt, qui nonnunquam matri, vt natam cibo potúque reficeret, imperitârit, ægrè aliàs, dum eius corpore excederet, eam ſenſuũ cõpotem, ne forte à ſuis

vt

vt duraret, admoneretur, & domeſtici hoſtis impetum fortiter ſuſtineret, relinquens. Quare diuturniora æquo ieiunia, mirùm neque vultu neque reliquo corporishabitu gracileſcens, pertulit. Quò facilè adducor vt credam, eam potius diabolo, hæreticis huius ſeculi miraculo conuincendis, quàm vllo ſuo ſcelere & piaculo, citra vllum vitæ diſcrimen, permiſſam fuiſſe: cum ipſe miſerum ſe, & infœlicem clamitaret, quòd in hanc temerè irruiſſet. Paulò verò antè indoctus quidā è Dominicano ſodalitio Motani comes, cum dæmone exorciſmis congredi auſus, acri velut inſcitiæ nota hoc reſpōſo tactus eſt. Adiuro te, vt hæc mihi, quæ modò protuliſti verba, κύριος, ἅγιος, ἀθάνατος ediſſeras. Altero quoque formulā magicis carminibus abolendis proditam aſciſcente, & ex illius præſcripto dæmonē à capite, aliiſque Nicolæ membris exire præcipiente, cum ne ab obſcœnis quidē, & putidis corporis partibus abſtineret, Phy, Phy, exclamat, huccine me retruſum cenſes? Quod ipſum planè antiquo angelici eius ſtatus pudori reor tribuen-

dum: vt illud ſummæ fuit erga pontificiã dignitatem reuerentiæ, quòd luſtrali toties, vt dixi, aqua aſperſus, ſemper ex trãſuerſo, nunquam rectà in Burſij faciem ſputauerit: ac vt ei diriſſima quæque ſit imprecatus, eius tamen nomini (tantum cochleã ob redimîtum mitra caput appellitãs,) pepercit. Quinimò grauia in eũ probra ex vſitatæ adiurationis preſcripto ingerenti, iis vltrò maiora ſuggerens, honorificos ſibi indere titulos vt pergeret, hortatus eſt. deinde quærenti cur tot vafris hæreticis omiſſis, ſimplicem catholicam adortus eſſet: plecteres verò, inquit, tibi morigeros! & rogãti, cur illis ſæpius obloqueretur? ſic ſoleo, reſpõdit, illos accipere, quos ità mihi deuinctos eſſe ſcio, nulla vt ratione à me abalienari queant. poſtremò obteſtãti per IESVM CHRISTVM, olim pro generis humani redemptione paribulo affixũ, vt properè è mulieris corpore faceſſeret, ego ille prò dolor, exclamat, primarius huius facinoris ſuaſor & author fui: atqui plures carnifices Chriſtus hoc ſeculo inueniat, ſi ſe illis me longè infidelioribus, nempe in eo diſcre-

discrepātibus, in quo vobiscum nihil hæsitans sentio, cruciandum sineret. Verùm vt ad Nicolam dæmonis dominatu liberatam (lōgiùs enim ab ea digressi sumus) reuertamur, cum eā è tabulato in proximā hexedrā (vulgò ac metonymicè chorum ideò dictam, quòd ibi chorus, id est, concinentis cleri cœtus in sacra collectus consideat) seminecē demisissent, & cantico illo, quod diuis, Ambrosio, & Augustino ascribitur, cōceptum corde gaudiū, quod verbis explicare non poterant, voce testati essent, confestim è custodibus vnus eam domum (cum vix anteà decem quanuis robusti, dæmone pondus aggrauāte, id præstare possent) reportauit: nostris omnibus eius vicem valde solicitis: quòd non ambigerent hæreticos, si quid tum humanitùs ei accidisset, illud seriò, tāquam eucharistiæ efficacia inaniter iactata, triūphaturos. Quare veriti, ne quid venenatæ adhuc potionis in eius corpore resideret, cùm antidotis tota nocte datis nihil profecissent, nec ideò sibi ad præcipuum medicum fore receptum desperarent, crastina luce haud inuitam, & si

oleo ſacro recens delibutã, cum ſuo grabato in templum retulere: vbi nouendialis ſupplicatio ſummo omnium conſenſu decreta : quæ magna deinde comprecantis populi frequentia habita eſt : cum intereà Nicola, quo ſepius ſacrum fieret, diuino paſta epulo, & ponè ſacram eucharistiam, pellucida theca incluſam toto periſtilio circũferretur, longè melius haberet: ac pedibus tandem ſcipione innixa, oppidũ viſitandis martyriis, aliíſque locis Deo, diuíſque dicatis, ingenti catholicorum lætitia perambularet. Quod cũ animaduertiſſent hæretici, tãta rabie exarſerunt, vt quendam ſuarum partium latrunculatorem, qui de impoſtura, quę à noſtris facta eſſe, ſed falſò, diceretur, authoritate ementita inquireret ſubſidio acccerſerent. Is ergò dignus, quicum in tenebris mices, dũ modò nihil pignori oppoſueris, cũ fore videret, vt permulti graues, religioſique teſtes in quibus Veteruillan⁹, & Belloforierius cochleato torque inſignes, finitimarùmque externis ditionibus vrbium, hic Corbiæ, ille verò Maceriarum cuſtodes, in rei geſtæ ſynceritatem

tatē producerentur: quaſi exquirēdæ veritatis gratia, eò non veniſſet, cùm Nicolam tantum, & aliquot eius propinquos rogaſſet, ſuæque factionis præterea nonnulli teſtimonium dixiſſent, properè ad ſuos, neglectis catholicis, rediit. Quo tēpore Vrſinius Capellatius, è vetuſta Romanorum gente ac nobilitate oriundus, tum primum Laudunum tanquam Prorector ingreſſus, aduerſariis inſtantibus & vrgētibus, Nicolam protinus vrbe cedere iubet. Quod ſanè permoleſtum ei accidit, cum valetudine nōdum eſſet ſatis cōfirmata, & in patriam alioqui redire ſummè cuperet. Eius tamē imperio parere coacta, decimo quarto calēdas Aprilis in Saluatorij monacharum cœnobium, ad primum vrbis lapidem, ab illis inuitata, feſtinanter ſeſe contulit. Quę modicè de more pranſa, cùm in eam ferè, quam paucis antè diebus dæmoniaca alternè paſſa fuerat, ſyncopen recidiſſet, magno cùm hoſpites terrore, tum comites mœrore affecit. Illi igitur, quòd Epiſcopus vrbe abeſſet, ad Hericurtium confugerunt. Qui Iuridicorum fidem implorans

eos commonefecit, vt quos è ſuo numero vellent, deligerent, qui eò proficiſcerētur, & omnem ab eccleſiaſticis fraudis ſuſpicionem ſegregarent. Medicorum enim alter, qui priori experimento ſocius Euæ additus fuerat, mira quadam arte noſtros impoſtura vſos eſſe dixerat: ceu vero hyoſciami fruticis vel virentis expreſſo ſucco, vel arentis excuſſo grano, Nicolæ ori clàm iniecto, priùs in furorē, deinde in torporē ea incidiſſet: mox verò lactis, ſimilagineo ſimul cruſto porrecto, propinati præſentiſſimo alexipharmaco excitata, diuinitatis apud imperitum vulgus opinionē panis fruſtulo, (ita impurus iſte & impius medicus loquebatur,) conciliaſſet: perinde ac ſi eiuſmodi fuc⁹ in ore mulieris ita obſtructo, vt nullis hæreticorum conatibus, qui in tabulatum inſiliiſſent, diduci poſſet, fieri, aut factus, tot hominum ex ſuperiore, & inferiore loco ſpectantium oculos fallere potuiſſet. Forenſia itaque negotia Iuridici cum excuſarent, Hericurtio vt eò, quos vellet, medicos duceret permiſſum eſt. Qui primùm omnium recantatorem il-

lum, cuius antè meminimus, ad ſe accerſiuit. Sed cùm is eiuſmodi prouinciam detrectaret, ne iterum (credo) palinodiã canere cogeretur, Miautius, & Eua cum Claudio Regio, catholico chirurgo illuc profecti, ea, quibus anteà vſi erant, remedia ſoporato corpori excitando repetiuerunt: dentibúſque ferrum & digitos, quibus os alterutrinque diduceretur, inſeruerũt, tum ſimplicem hieram, vitalémque (vt vocant) aquam cum ſinapi, & recèns mulcto lacte, gutture condiderunt: album denique elleborum, & euphorbiũ ſimul puluerantes, admoto porri capitati & amaraci vino concocti ſuffitu, naribus infuderunt. Qui cum his medicamentis nihil profeciſſent, noſtri Nicola in templum ducta, ad nunquam fruſtrà petitum remedium confugerunt. Vbi cùm res diuina fieret, ipſa ad generalem exomologeſim oculos aperire, ad euãgelij recitationẽ ab imò pectore ſuſpiria ducere, ad ſacrę euchariſtię eleuationẽ oculos ſurſũ attollere, precari, adorare, ſub ſacri finem cõuerſa ad Spinoſiũ facie, ſummiſſim de peccatis ſuis cõfiteri: poſtremò miniſtrãte

Hericurtio, ad ſacram communionem reſumptis veluti viribus, accedere, Cúmque his ritè peractis lachrymas profunderet, tum ecquid moleſtiæ pertuliſſet, cũ ità inſtupeſceret, amaritudiníſue eius palato hæſiſſet, rogata, negauit ſe vnquã ſuauius dormiiſſe, aut amari aliquid, quod certè guſtus ſenſu percepiſſet, in os iniectũ fuiſſe: neque aliò ſuas ſpectaſſe lachrymas, quàm quòd antè vrbe miſera, quàm eſſet perſanata, eiiceretur: proinde Cœnobiarchã, aliáſque virgines orare, atque obteſtari, vt ſibi in vrbem reditum conficerent: qui vix tandem multis precibus impetratus eſt. Ecce autẽ vehemens hæreticorum de neglecto Prorectoris mãdato expoſtulatio, Nicolam, auguſtum illud tẽplum cũ ingenti proximæ ſanitatis ſpe adhalantem, nec in priſtina deliquia relabẽtem, Lauduno rurſum exegit: quauuis iuridici eam ibi (quo tẽpore ab Energumena, in cuiuſuis mores deſpuente maior ſeditionis metus erat) reualeſcere fuiſſent. Cęterùm quarto nonas Aprilis duobus apparitoribus, & ãctuario præfractum de ea in patriam redu-

reducenda iussum exequentibus, cùm haud procul ab vrbe, quippe ad Puysiacẽsem tumulum medio subuecta carro, eo modo, quo antè quindecimum diem in Saluatorio, animo defecisset, nihilominus Marlã oppidulum, deinde Vreuinum perducta est, & domi apud maritũ relicta. Quæ cùm in eadem, quæ anteà, deliquia minimo quoque potu cibóue recideret, sóloque sacrosanctę eucharistiæ tactu excitaretur, & à suis, vt Laudunum reduceretut, peteret, quanquam verebantur, ne inediam ferre posset, ipsi tamen ei morem gessere. Sed subiectis Lauduno vallibus iis suburbiis, quà ad vrbẽ accliuior ascensus est, eã mœnibus inducere, paucis multitudini præscribẽtibus, non potuerunt. Quæ foras exclusa, quod præter omniũ spem, & expectationem accidit, Farram Vindocinẽsium ducum oppidum, quod Lauduno millia passuum circiter decem aberat, ad diuæ Catharinę insigne diuerterunt: rati principem Condeum, illustrissimis natalibus ortum, qui tum fortè vicina, cui præerat, prouincia decedẽs, ibi substiterat, tot Ni-

E

colæ miſeriarum, & ærumnarum miſerturum, ſuáque autoritate curaturum, vt vbi conualeſcere cœperat, ibi integram valetudinem reciperet. Sed omnem vlli mortalium pro ea ſupplicandi occaſionẽ formidoloſi caſus inexpectata, & in ipſo propè limine cõtingens periodus abſtulit. Etenim ſuperueniens eius loci iudex, cùm Petreiũ illinc faceſſere, relicta vxore iuſſiſſet, mulieríq; cuſtodes adhibuiſſet, & eius carri, quo vecta fuerat, ſuccuſſu, & inedia fatiſcenti, euchariſtiæ, quam inſuefacto ſe reficiẽdi more popoſcerat, vſu interdixiſſet, neque tum ad pulmenti chærephyllo condîti ſorbitionẽ, vt neque triduo etiam inſequenti, ad quemlibet cibi potúſve hauſtum, vt ſæpe antea, obtorpuiſſet, qui iuxta principẽ aſtabãt; vulgatam de euchariſtia ceu deliquia excutiente vim hinc ideò eleuabant, quòd Nicola, ſimul atque ex presbyterorũ manibus eſſet elapſa, obtorpeſcere deſiiſſet. Sed huic argumento cùm ſuperiora medicorum vtrinque delectorum experimenta planè aduerſarentur, réſque omnium in oculis, vel cẽtenis hominũ millibus

libus teſtibus, ſi, quoties populus ad tãtæ rei ſpectaculũ coierit, ſpectes, geſta, nullis calumniis opportuna eſſet, ad veritatem tamen opprimendam magnum ſe operæpretiũ facturos arbitrati ſunt, ſi Nicolam à religione catholica abducere, & in ſuam ſententiã pellicere, impietatémque traducere poſſent. Proinde cùm ad principem Condeum eſſet ducta, eíque præter cætera, quæ non magnopere refert hoc loco commemorare, roganti, an Dei verbum audire vellet, ipſa annuiſſet, atque tum Caluinianis catechiſmis illi & marito obtruſis, vtérque miniſtri precationibus, nihilo tamen ad iſtorum diſciplinam amplexãdam alacriores facti, interfuiſſent: ex eo die, quo Farram veniſſent, quotidianas illius conciones Aniſij habitas, quò princeps ſe cõtulerat, & ipſi perducti fuerãt ad quartam Paſchatis feriã ingratis audiuere. Illi verò cùm indignè ferrent, quòd operam luſiſſe viderẽtur, quam reducendis coniugibus in viã, tanquam ea deerraſſent, poſuerãt, ſéque ab eis contemni putarent, cõtinuò eum, quem iſti ſuperuigilãtem vocant, accen-

ſus potiùs alicuius, quàm Epiſcopi mune re fungentem, ad eos allegant, qui ex eis ſciſcitaretur, qua religione tacti carnium eſu, toto potiſſimùm illo poſt quadrageſimale ieiuniũ quatriduo abſtinuiſſent: ſe eorum adhuc errori, & anili ſuperſtitioni, qua eorum animus imbutus eſſet, indulſiſſe: ſed nihil iam cauſſæ eſſe, cur viuendi victúſque ratione à cęteris diſcreparent. Qui negârunt ſibi antè catholico more carnibus veſci licere, quàm ſolennem ſibi Paſchatis diem, ſumpta euchariſtia, celebraſſent. Is autem cùm demõſtraret, ciborum, quibus nemo coinquinaretur, delectum nullo tempore habendum eſſe: atque Petreius reſpondiſſet, nõ cibis, ſed ob religionis contemptum, & eccleſiaſticorum præceptorum ludibriũ hominem coinquinari: alterum ab altero (quó faciliùs mulieris in catholica religione fidem cõcuterent,) abſtraxerunt: quos diuerſis antiquæ Aniſij arcis cœnaculis duodetriginta dies diſcluſerũt, mulierculã variis interrogationibus itã exagitãtes, vt quò ſtudioſiùs inani verborum ſtrepitu illius aures obtunderẽt, eò in ſua

de

de catholica religione ſententia affirmatior eſſet. Iis igitur, crudelius haud dubiè & libidinoſiùs in coniuges conſulturis, ni veriti eſſent, ne ea res maiorem miraculo fidem afferret, placuit, præſertim cùm princeps Condeus Valerianam apud Senones domum properaret, vt Nicola per ſpeciẽ ampliùs de impoſtura cognoſcendi, ad ſuarum partiũ iudicem Ribemontium relegaretur. Sed cùm Petrus Albericus Nicolæ pater, ex genero, qui iam è cuſtodia emiſſus erat, intellexiſſet filiam contra ius faſque clauſam eſſe, ex aliquot fori togatorum conſilio ad Senatum aduerſus iniuriam prouocauit, prouocationémque iudici teſtatò renũtiauit. Verùm cum iudex Condei authoritatem prouocationi opponeret, vt periculi denuntiatione hominem terreret, Petreius Regẽ, qui tum apud Sanmorianam Matronæ peninſulam agebat, de vi & iniuria ſupplici libello docet, eiúſque fidem implorat, à quo paternæ & auitæ per tot Regũ Chriſtianiſſimorũ ſoboles, pietatis æmulo decretum impetrat, quo vxorem octauo idus Iunias, hoc eſt, ſexageſimo ſecũ-

do pòst die, quàm Farram venerat, incolumem domum reduxit.

HAEC penè nuda rei in Veromanduis gestæ descriptio, nasutioribus quibusdam, sat scio, risum mouerit, mihi superstitionem obiecturis: de qua ipse eiusmodi cauillorum contemptor egregius, idem, quod de oratoria in adolẽscẽtibus fœcunditate Cicero pronuntiauit, cẽseo statuendum: in hac saltem, vt in vitibus quæ sese nimiùm profuderunt, esse, vnde aliquid amputetur: contrà in istorum, vt volunt, absoluta religione, vel potius impietate, nihil valere materiem, sicq; sarmẽta exaruisse, nulla vt cultura propagari queãt. Quanquam, ne hîc superstitio conualesceret, à me diligenter prouisum est. Fortè enim cum Bursius paulò antè, quàm Nicola Lauduno exigeretur, se in hanc vrbem recepisset, ac clauso comitio nostro (vbi sextumuirali ecclesiasticorum Franciæ parium iure consederat) ad coronam sese dedisset, sermonibus interuenissem, ipsa rei cùm per se mirabilis, tũ accõmodata tempori nouitas me ad eam scripto prosequendam ita illexit, vt Episcopi

ſcopi voluntati ſæpius me ad prandium vocãtis hòc libẽtiùs paruerim, quòd nobiles quoſdam viros, qui oculati eſſent teſtes, eò vocaret, mihíque nõnullorum commentarios, quòd mihi profuſis quibuſuis epulis ſuauius fuit, maximè Antonij Planquij, ſororis filij ephemeridem ſuppeditaret: in quam generoſus adoleſcens, qui nunquam ab auunculi latere to ta illa actione diſceſſiſſet, quicquid actũ, geſtúmve fuerat, rem à gemino, quod dicitur, ouo, ad Beelzebulem profligatum exorſus, vulgari idiomate retulerat. Adhęc publicę Gulielmi Gorretij, Regij grãmatei notæ, quibus theatralia pleráque Epiſcopi, & Canonicorum mandatu excepta ſunt, id Hieronymo Molinæo, Sãcti in Pariſiẽſi regia ſacelli canonico curante, ad me ſunt perlatæ. A' quo etiam viro, in hæc pietatis ſtudia valdè propenſo, ipſe Gorretius, & Caluellus, vigilũ, vt ſuprà dixi, præfectus, & Reginaldus Dulcetius, Curiæ Laudunenſis procurator domum meam ſunt adducti: Quem ego Gorretiũ cum de his diligẽtiùs, quæ fama ipſa vulgabantur, & ex multis au-

dieram, percontarer: is pleráque à se prętermissa esse, quæ in commentarium nō retulisset, ingenuè fassus est, quæ ne à viginti quidem notariis excipi potuissent: cuiusmodi illa erant, quæ perpetuo inter missarum solennia garritu diabolus effutiuerat. Qui cùm inter se de iis, quæ ex aliis audiuissem, conferrent, alia vera esse affirmârunt: quibus etiam alia nonnulla addiderunt, quæ tanquam vera Dulcetius, homo minimè vanus prolata mihi charta subscripsit. De aliis verò quibusdam nihil certi pronuntiârunt. Quibus omnibus fretus, cœpi vndecimo abhinc mense, meæ (vt ita dicam) orationis vela pandere, sed quæ, vix tribus paginis confectis, subitò contrahere sim coactus. Nā aduersus de Nicola rumor Lutetiam totā, ciuibus variè pro cuiusque studio affectis, peruaserat, eam ad Condeum profugisse, Motani primùm, deinde Bursij technas retexisse, denique à Catholica religione desciuisse iactitabant. Profugisse constans fama erat, sed caussam nō esse ostēdebam, cur istius sermonis authores de cæteris vehementiùs laborarent.
Motanum

Motanum ne de facie quidem nôram, quem tamen vel hoc vno hominem frugi iudicabam, quòd ab istis omni conuiciorum genere proscinderetur. Qui verò Bursium doli fraudisue insimulabant, ij non sibi satis constabant, qui sæpius pugnantia loqui viderentur, cùm etiã paulò antè apertum, & simplicem hominis animũ, sed quo maximè illius mentis synceritas arguebatur, riderẽt. Itaque quorsum res euaderet, opperiẽs, ipse festo Dominicæ ascensionis, mihíque natali die, tertiana febre decubui, hoc sanè periculosiore, quòd iam ætate grauem, ac per continuos triginta quinque annos prospera valetudine vsũ corripuisset. In qua consananda, triginta ferè diebus maiore forsan animi, quàm corporis molestia cõsumptis, cùm recuperatorium nostrum tribunal præmaturè repetiuissem, ophthalmia oculos lancinante, angularíque horũ in altero ægilope instar pyropi extuberante, aliísque fœdioribus morbi reliquiis ingruentibus, tantisper debitum reipublicæ munus deserui, nedum interrupti operis contexendi curam abieci,

dum iis omnibus ad calendas Octobres defunctus, Antoniũ Dulcium obſecraſſem, vt Nicolam Vreuinum vſque viſeret, ex qua, quid ei accidiſſet, quum apud principem Condeum erat, intelligeret. Quod ipſum vir mei (ex eo tempore, quo Pomponius Belliurius, ſororis filius, qui nunc apud Heluetios legationem agit, ſupppræfecturam Laudunẽſem gerebat) ſtudioſiſſimus, non modò ſumma voluntate præſtitit, verumetiam permulta, quę huc pertinerẽt, vel actorum iudicialium, vel elogiorũ à medicis, & apparitoribus cõfectorum exemplaria vndique corrogauit, eáque, vt quæque in manus incidebant, hoc quicquid eſt, elucubranti ſubminiſtrauit.

Apologia. AGE VERÒ, quod vnum ſupereſt, & operis ratio in primis poſtulat, ſpecioſa quædam ad tanti miraculi fidem eleuandam obiecta, ſigillatim, atque ſeruata narrationis ſerie, diluamus: nec iam de eo ſpectro, quod in Nicolę oculos incurriſſe principio diximus, vehementiùs laboremus: cum eiuſmodi pleráque dęmonum, in homines trãsformatorum ſimulacra

ſacra multis apparuiſſe, vel hæretici medici Ioannis Vvieri ſcripto comprobetur, quippe qui aſſerat nō difficile eis eſſe, defunctorum animas ipſa corporeæ, quam exuerint, molis ſimilitudine mentiri, circa monumēta verſari, in cœmeteriis oberrare, earúmque hæredes, aut propinquos ità ſpectris perterrefacere, vt ad illicitos cultus, damnoſos iuſtorum ac parentalium ſumptus, vetitámque religionis ergò peregrinationem imperiti, minúſque fidentes Deo ipſi inducātur. Verùm, huic vt cætera concedamus, dæmoni nequaquā veteratoriū fuerit in rebus conſtanti catholicorum omnium opinione falſis, aut impiis ſibi fidē, vt inde citiùs credatur, præſtruxiſſe. Sic apud Poetam Sinonis dolus à veris, quà Palamedis indigna nece, quà Græcorum fugam molientiū propoſito conſuitur, vt iis prænarratis, ſequentibus fidē faceret, & magna cum mercede falleret. Atque Auguſtinus, Apoſtolum interpretans, tunc Satanam ſe in angelum lucis trāsfigurare ait, quum in manifeſtis bonis fallit, vt dum in eis ſibi creditum fuerit, ad ſua ſeducat

lib.1.de praſtig. dæmo. cap.11.& 13.

Virg. lib.2. Aeneid.

1.Cor.11. lib. de ſpir. & ani.cap. 27.

ducat. Atqui in manifestis bonis Missę Sacrum, Virginis, beatorúmque omnium, & quamlibet pro mortui liberatione suffragationem orthodoxi quique posuere. Quæ tamen rapsodus iste cùm hoc loco ad illicitos cultus traducere, tũ similibus subinde conuellendis, rem palàm ac syncerè gestam, quodam sui velut didascalici operis præiudicio, opprimere conatus est. Cuius adeò opportuna fuit tertia editio, vt ad id auctam fuisse libeat coniicere. Cæterùm simplex parentum de natæ salute vicina circum fana obeundo satagentium crudelitas, ęqui boníque consulenda: tum subnotanda Beelzebulis malignitas, Compostellanam, quam supra eorum vires esse intelligebat, peregrinationem etiam imponentis, vt ad propositam voti commutationem animum ipsi adiicerent: ísque commodiùs energumenæ oculis, quę interim omnium ferè consuetudine, & præsertim suorum careret, variis spectris obiectis illuderet, suam denique nexu mancipióque (quod quidem postea altero dæmone subornato, molitus est) instar sagarũ efficeret. Has enim (quod

Vuier. lib. 1. cap. 11.

(quod idem Augustinus refert) nō modò credere, sed & vltro profiteri, se nocturnis horis cū Diana, Minerua, Herodiade, atque innumerabili mulierū multitudine equitare, earúmque iussionibus obtēperare, ipse iampridē cùm in tholo quæstorio, seu, vt vulgò loquimur, Turricula sederem, pari ferè quarundā maleficij rearū deliramēto, sat superq; persuasum habeo. Neque verò inscienter Dominicanus dæmoni, se diuersissimū ab eo, quod primùm simulârat, affirmanti obiecit, nō solere bonos genios humana corpora ingredi: id quoque (quod idem Augustinus constare ait) sentiens, diabolum scilicet eius hominis lingua vti, cuius corpus intrauerit. Ne autē in eo, quod Beelzebul se è mulieris corpore non ab alio, quàm à quodam, qui tunc, quum hæc diceret, in aula degebat, abigendum esse significauit, aut quæ occultiùs dicta factáve erant, aut solùm cogitata prodidit, insistā, facit ab illo medico allata eiusdē Augustini authoritas, qui id dæmonibus facilè contingere asserit, tum ex mira aerij corporis motus celeritate, tū sensuum acri-

De spir. & ani. cap. 28.

lib. Quæsti. vet. & noui. Testamenti cap. 31.

De præst. dæmo. lib. 1. cap. 9.

monia, tum denique longè maiore iis ob vitæ diuturnitatem, quàm terrenis, nimirùm breuioris æuii corporibus, rerum experientia: ità tamen, vt iidem sępenumero vel sua sponte mentiantur, vel coniectura, priore illo mentis acumine ob fœdã apostasim quadantenus hebetato, fallãtur, ac soli Deo alioquin absoluta cordium perscrutatio, futurorúmque prædictio sit reseruata. Illud ergo Fuscinacẽsis Abbatis de energumena, Vreuino ad proxima quæque martyria deducenda consilium, contrà puri puti sycophantæ, sanctorum reliquias haud pluris canum ossibus facientis blasphemiã, vel ipsius Augustini authoritate tuebimur. Is enim, quòd simplici scripto dæmones à martyribus torqueri docuerat, id illustri exemplo confirmauit, relato Afri cuiusdam adolescẽtis mirabili casu, qui cùm medio fluminis gurgite abreptus, indéque semimortuus ad Victorianam villam, nõ procul Hippone regio distantẽ delatus, atq; ibi diuorum Geruasij, & Protasij Mediolanensium martyrum memorię admotus esset: tandem diabolo maximo cum eiulatu

De præst. dæm. lib. 4. cap. 14.

De ciui. Dei lib. 22. cap. 8.

latu sibi, quod illum inuasisset, ignosci rogante liberatus est. Quod autem cathedrarius iste quosdam suę artis professores ideò imperitiæ damnat, quòd diuis, Ioanni Baptistæ epilepsiæ, Antonio eremitæ ignis sacri, Huberto rabidi canis morsus curationē tribuant: quæ siquando cōtingat, eam intētissimæ rudioris ingenij hominum variis Sanctorum reliquiis confidentiū imaginationi potiùs ascribat, iam faxo, vt aut recantet, aut Augustini eiusdem elogium, quo argutissimū illum sanctioris theologiæ censorem esse testatur, expungat. Is enim in præclaro illo de Ciuitate Dei opere duo præterea ab hoc, quod modò retuli, sed & alia multa, quæ suo tempore, séque interdum præsente, edita sunt, miracula commemorat, quæ ne Galenus quidem ipse, quem medicus iste citat, etiam si ab inferis excitetur, rudium hominum imaginationi tribuerit. Lucillus, Synacensis Episcopus piæ Stephani protomartyris reliquiarū sarcinæ vectatione, illarúmque solo contactu, fistula, qua laborabat, tum quidē sanatus est, cùm fidissimi, qui eam secaret, medi-

De præstig. dam. lib. 2. cap. 15. & 16.

d. lib. 2. c. 1.

d. li. 2. cap 16. & lib 4. cap. 14.

ci manũ opperiretur. Et Martialis quidã ità à Christiana religione abhorrebat, vt generũ & filiã à se, quòd illũ, vt nostris sacris initiaretur, adhortarẽtur, summa cũ indignatione arceret, atq; summoueret: qui nullũ tamẽ orandi pro senis ad Deũ cõuersione, ad diui Stephani memoriam tẽpus intermittebant. Vnde cùm aliquid florum, quod fortè altari superfusum fuerat aliquando abstulissent, domúmque reuersi, decumbentis senis capiti apposuissent, is proximo diluculo Episcopo, presbyterísque ad se accersitis, non ita multò pòst, quàm purifico rore perfusus, dominum IESVM CHRISTVM, vt spiritum suum susciperet, precatus est, ipsius Stephani oratione imprudens vsus, animam egit. Christi verò nomine vel per eius sacramenta, vel sanctorum memorias, mortuos suscitatos fuisse, cæcos visum recepisse, nonnullos paralysi, cãcro & podagra, aliísque deploratæ curationis morbis leuatos, liberatósque fuisse, idem Augustinus, qui mẽdacio fallere nollet, abundè testatur. Qui cùm de his loquitur, qui miracula, quæ mundus,

Acto. 7.

d.cap.8.

vt in Christum crederet, facta sunt, fieri desiisse contendebant, *hoc ideò*, inquit, *dicunt*, *vt nec illa miracula facta fuisse credantur*. Quæ tamen, vt in sua tempora durarent, Deum minimè permisisse inde coniicit, ne animus semper inuisibilibus inhæreret, & quorum nouitate genus humanum anteà flagrârat, eorum consuetudine refrigesceret. Quod à se priùs scriptũ non tam retractans quàm explicans, hactenus verum esse fatetur, vt non perinde suo atque apostolico tempore baptizati accepto Spiritu Sancto omnium gẽtium linguis vterentur, signo nimirũ opportuno, quo tunc euãgelium per πολυγλώσσους toto orbe terrarum diuulgaretur. Cæterùm nullo nõ tẽpore sua, vel ad conuincẽdam hæreticorum perfidiã, vel continẽdam catholicorum fidem, maximè verò ad sustinendum, atque fulciendum summum in eucharistiæ sacrificio Dei cultũ, miracula præstò fuere. Quod ex multis huius, & aliorum melioris notę doctorum scriptis promptum sit ostẽdere. Sed, omnibus antiquis illis, & longè à memoria, patriáque nostra remotis mira-

d. cap. 8.

Aug. de vera. relig. cap. 21.

Retract. lib. 1. cap. 13.

Aug. in epist. Ioan. tracta. 6.

culis, ad recẽs & domeſticũ prodigium, quo ſacræ euchariſtiæ vis illuſtratur, accedamus. Ruſtica quædam mulier cùm ad ſacram cum cæteris parœcis ſuis die Paſchæ ſolenni communionem acceſſiſſet, ob ídque à marito acerbiùs acciperetur, ipſa ſe prędicti Cuciaci, ſancti quoq; Michaelis Theraſcanenſis Abbatis metu eò acceſſiſſe excuſabat, verita, ne ſi fortè apud eum impietatis delati eſſent, ruſtica, dotalíque cœnobio, villa pellerentur. Qua ſua oratione cùm ira incenſum mariti animum non placaret, hoc etiam parum ſana mulier addidit, per ſe quidèm illi licere, vt ſi liberet, fingeret, ſe non euchariſtiam in cœna, ſed bufonẽ voraſſe. Sed impij huius ſermonis haud ita multò pòſt graues pœnas perſoluit. Paucis enim menſibus, monſtrum enixa ſuperiore corporis parte vmbilîco tenus informi, brachiis verò ranæ, bufoníſve inſtar palmipedibus, & cruribus in acuminatas anguium, anguillarúmve ſpecie ſeſe ſinuantes caudas deſinentibus, vnicáque ſupernè auricula prominente, tanto horrore expauit, vt eo conſpecto propemodum

dum exanimata, infœlicem partum humo condendum curárit. Sed cum obstetrices, quæ parienti opem tulerant, rem prodidissent, actore publico, vt par erat, id postulāte, terra effossum iudicis decreto monstrum, in conspectúmque prolatum, admiratiòne rei prodigiosæ perculsis omnibus, mox regesta terra, (quātum ipse ex inquisitione quinto calendas Iulias anni superioris acta, mihíque, dū hāc historiam ordirer, allata collegi) obrutū est. Huic narrationi maximè conuenire videtur, quòd à Benedictino quodā, Petri Gōdij Episcopi, ducísque Lingonēsis, ac in Ecclesiasticis Franciæ paribus Sextūuiri, alūno gestū esse accepimus. Is cùm Romę quinquagesimo quarto hui⁹ seculi anno ageret, & ęstiuo tēpore cucullatas puellas, cateruatim à quibusdā matronis ad plurima illìc martyria pietatis ergô pertractas in Lateranensi tēplo fortè offēdisset, statim ex earū introrsum retrusis ardentibus, & vagis oculis energumenas esse suspicatus, primùm corpus fundēdis Deo precibus humi prosternere, deinde cùm exurrexisset, qui, quótve immundi

ſpiritus eorũ corporibus inſediſſent, adiu ratione exquirere, & vt eius cõfeſſionis, quam ab eis expreſſiſſet, ſignum aliquod ederent, imperare cœpit. Tum horribili reluctantium vlulatu exorto, quòd iã adueſperaceret, & longior illis via eſſet cõficiẽda, quàm vt maturè ad orphanotrophium reduci poſſent, negocium in diẽ craſtinum reiectũ eſt. Qui cùm ſe in monacharum fanum, vt promiſerat, recepiſſet, earum pleræque furiis agitatæ, patrio idiomate, *Sancto Antonio, Sancto Antonio* cõclamarunt: reuera Antonianæ domus, quæ ad diuæ Mariæ maioris baſilicam eſt, inquilinum adeſſe ſignificantes. Quę pontifici maximo, Iulio tertio renuntiata in cauſa fuere, vt Benedictino illi octoginta circiter puellarum exorcizãdarum prouincia ab eo ſit tradita. Verùm homini Gallo, eam prouinciam vt duram non antè capere viſum eſt, quàm duos Italos, alterum Clementini, alterum Chartuſiani ordinis monachos, collegas impetraſſet. Simulatque verò is in fanum reuerſus eſt, continuò dæmoniacæ ex eo dilapſæ, in vaſtæ habitationis penitiſſimos quoſque re-

que recessus sese abdiderunt. Qui cùm, vt ad se adducerentur, deposceret, qui tũ aderant id aliter, quàm cõminatoriis adiurationibus effici posse negauerunt: quibus vsus, dicto citiùs prestò fuere. Illo igitur die cœptæ, totúmque ipsum semestre continuatæ, & ad optatum vix tandem finem perductæ adiurationes, suam potissimum vim à sacrosancta eucharistia, singulis harum omnium porrecta, retulere. Ad hanc enim post diuini nominis cũ lustralis aquæ aspersione, verendíque dominicæ crucis signi ostensione inuocationem, velut ad triarios decursum est: cũ apostolicis, multísque postea consequutis, vel ad quadringentesimum annũ, temporibus, tantùm abfuerit, vt dæmonibus exorcizandis eucharistia adhiberetur, vt etiam statim ab euangelij lectione energumeni, ne eius confectioni (quam consecrationem vulgò vocant,) interessent, reliquo sacro missæ, ipsóque adeò templi ambitu arcerentur. Equidem supplicibus ad Deum precibus, & votis, quibus Apostoli, aliíque absolutæ fidei, & innocẽtiæ patres vsi sunt, nihil vel satana ipso

Diony. hierarch. c.cl. theor. de sacra synaxi.

quouis corpore exturbando olim efficaciùs fuisse crediderim, vt superbissimo hosti in primis inuisa sit ea animi demissio, qua humanum genus in pristinam, à qua deciderat, gratiã restitutũ, se verò nimia cõtumacia ex angelo diabolũ esse factũ recordetur. Verũ sensim exolescente precantiũ feruore, aut subrepẽte horũ animis gloriola, aut deniq; spectatoribus accedẽte eius, quę sacratissimis scriptis testatissima sit, per fidem operationis diffidẽtia, solito difficilior energumenorum curatio facta est. Ac postrema fortasse causa diuo Martino, Turonẽsi Episcopo seorsum dæmones exorcizãdi mos fuit. *Neminem* (inquit Seuerus Sulpitius,) *manibus attrectabat, neminẽ sermonib⁹ increpabat, sicut plerunque per clericos rotatur turbo verborũ, sed admotis energumenis, cæteros iubebat abscedere, ac foribus obseratis, in medio ecclesiæ cilicio circũtectus, cinere respersus, solo prostratus orabat. Tunc verò cerneres miseros diuerso exitu perurgeri: hos, sublatis pedibus, quasi de nube pendere: ne tamẽ vestis deflueret super faciem, ne faceret verecundiã nudata pars corporum. At in parte alia videres sine interrrgatione vexatos, &*

de vita D. Mar. lib. 3.

sua

ſua confitentes crimina: nomina etiam, nullo interrogante, prodebant: ille ſe Iouem, iſte Mercurium fatebatur: poſtremo cunctos diaboli miniſtros cum ipſo authore cerneres cruciari: Vt iam in Martino illud fateamur impletum, quod ſcriptum eſt, Quoniam ſancti de angelis iudicabũt. Hæc ille de ſibi ſyncrono planè, vt profitetur. Apoſtolis comparando, ſed cuius orandi feruorẽ diuis Proſpero Aquitanico, & Bernardo Clareuallenſi nõ ob id defuiſſe cenſuerim, quòd vterque, adiurandis dæmonibus, euchariſtia ſit vſus: præſertim cùm citeriore huius ſeculo de Tranſſubſtantiatione, quam vocant, controuerti cœpiſſet: ſuperiore verò Aquitanici, Arriana hæreſis totam Africam per uaſiſſet, ad quam partim cõuincendam, cùm diabolus Arabæ puellæ fauces præcluſiſſet, tum demũ non anteà loco ceſſerit, quàm euchariſtiam ipſa glutiſſet, eóque facto impius idem nequaquam ſolis panis & vini ſpeciebus, aut iis, latẽte puri ac ſimplicis hominis ſubſtantia, abſceſſurus, diuinam & mirabilem Chriſti hipoſtaſim exeruiſſet. Sed paulo longiùs prouectus penè præterieram, quod inter

Seuer. ſulp. lib. 2. ſacra hiſtor.

vita S. Bernardi, lib. 2. cap. 3.

Proſp. de prouid. dei

Benedictini nostri adiurationes cuidam primariæ authoritatis & dignitatis, sed fluxæ (quod ad res diuinas pertinet,) fidei viro, qui tũ cò de industria venerat, visu, dictúque stupendũ accidit. Is cùm quæreret, supero inferóne loco Erasmi & Luteri animę essent, tũ stridulo clamore excãdescentes dæmoniacæ, raptim digitis, quasi ferreis vncis structos lateres pauimẽto detraxerũt: manibúsq; sublatos in curiosum inquisitorẽ, non sine magno eius comitumq; tremore eiacularunt. Nec etiã silẽtio trãseundũ, quòd, Benedictino ex dęmonib⁹ caussam sciscitãti, cur innocuis virginib⁹ molesti essent, respõderunt se à Iudæis, partim harum patribus baptismo emãcipatas ęgrè ferentibus, in earũ corpora immissos fuisse. Quæ res ideò à me cõmemoratur, quòd ex cuiusdã apud Lyessam actorum apographi lectione ipsi Nicolę quiddã non absimile cõtigisse, neq; fortasse temerè, coniiciã. Ibi enim à mystagogo dilucidis interuallis togata, núm quando veneficas mulieres cõsuluisset, dirisve imprecationib⁹ dæmoni se deuouisset, negauit ipsa id vnquã sibi,
vt

vt faceret, in mentem venisse: audisse verò se ab Ægyptia muliere, in quam fortè incidisset, (hoc mulierum genus, quæ incertis sedibus vagantes, chiromantiā vēditant, indica[illegible]s,) non ita pridem maleficio vicini effascinatā. Sanè cū de eo dæmonum responso in vaticano aliquando disceptaretur, & Lainus, quondam Iesuitarum doctissimus, vt vocant, generalis cōtenderet, neminē noxios spiritus in humana corpora immittere posse, Theatinus Cardinalis, qui postea Pauli quarti nomine pontifex maximus rerum potitus est, eius sententiæ accedebat. Plurimis tamē authoribus, placuit idem prauis hominibus, Deo sinēte, quod dæmonibus licere. Atqui Diuo Hilarioni fucū factum fuisse à diabolo, se Cyprij æris lamina, quò minùs à Gazensis cuiusdā virginis corpore exiret, teneri obtestāte, me rus physicus ex beati Hieronymi, quæ in suum opus trāscripsit, verbis ineptissimè collígit. Quasi verò ea lamina subter puellæ domus limen defossa non ilico, vt idem Hieronymus ait, insanire virgo, & amictu capitis abiecto rotare crinem,

De præst. dæm. lib. 4. cap. 11.

In vita D. Hilari.

ſtridere dentibus, nomen adoleſcentis, quem antea ſemper auerſata fuerat, inclamare cœperit. Nam ex eo, quòd ſubiicitur, noluiſſe Hilarionē, antequam virginem purgaret, ſigna perquiri, ne aut ſolitis incantationibus dæmon receſſiſſe, aut ipſe ſermoni eius fidem accommodaſſe videretur, ſed magis reddita ſanitate virginem increpaſſe, quòd talia feciſſet, per quæ dæmon in eam ingredi potuerit, nihil conſequi puto, vt magicis artibus immiſſum fuiſſe inficietur, qui tamen maiore, hoc eſt, diuina, per ſanctiſſimi eremitæ preces, virtute ab ea ſit expulſus. Nec propterea noxiam virginem, ſic vt ſua culpa dęmoni acceſſum prębuiſſe putetur, quæ nonnunquam admonitionis loco vſurpatur, arguerit increpatio: cùm Auguſtinus ipſe paruulos per lauacri regenerationem ab originali, quo ſolo tenebātur, peccato ſolutos, aliquando etiam dæmonum incurſus pati teſtificetur. De nobiliſſimi cuiuſdam iuuenis ſimili propè caſu cùm rumor percrebruiſſet, nemo non eius, quo nihil eſſet innocentius, vicem dolebat. Cuius velut humano

Lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 14. & lib. 22. cap. 22.

mano

mano aliquo morbo laborantis, cùm peritiſſimis quibuſque medicis, inprimis Ioanni Fernelio, regio tunc archiatro curatio mandata eſſet: iique epilepticæ, aut certè huic finitimæ cõuulſionis remedia nequicquam adhibuiſſent: tertio tãdem mẽſe totius huius mali author diabolus hinc deprehenſus eſt, quod græcas voces eius, qui linguæ græcæ prorſus expers erat, ore proferret, ac multa medicorum ſecreta detegens, eos derideret, quòd irritis pharmacis iuuenem propemodum iugulaſſent: interrogatum porrò, quis eſſet, aut quomodo, quáue poteſtate hæc moliretur, ſe in illius corpus à quodã iniectum, ab eóque, cùm præſtitutus dies aduentârit, egreſſurum reſpondiſſe idem Fernelius eleganti opere teſtatus eſt. Sed præſtantiſſimo huic philoſopho fucum à dæmone factum fuiſſe ſciolus ille cõminiſcitur, quòd aliàs, inquit, Satanæ potẽtiã hominis virtus maligna exuperaret, ſi homo pro corrupta volũtate ſua hic poſſet, quod dæmoni denegatum eſt, cùm hic nihil omnino aut intus, aut extra poſſe citra Dei peculiarem aſſenſum, ex ſa-

lib.2.de Abdit.rerum cauſ. cap.16.

de præſtig. dæm. lib.3. cap.14. & 16.

crarum literarum traditione manifestũ ſit. Rectè ſanè ſi ſola ſceleſtiſſimi hominis imprecatione, & citra Dei permiſſionem ſe eò immiſſum quiſquis ille Fernelio reſpondiſſet. Equidem cum Auguſtino nō dubitem durum quibuſque videri, etiam per malos angelos, nedum homines, iſtiuſmodi immiſſiones fieri, præſertim minimè cogitantibus, quemadmodū ſumma Dei iuſtitia malis rebus bene vtatur, non ſolùm in rebus peruerſis puniendis, vt in Achabo Rege, quē fallaciæ ſpiritus ex Dei volūtate ſeduxit, vt caderet in bello: verumetiam ad probandos bonos, vt in Iobo, qui cùm fortunarũ omnium iacturam in numeroſſimo grege cœleſti igne conſumpto, armentis abactis, domibus vēto proſtratis, liberíſque ſuis earũ ruina oppreſſis, factam eſſe intellexiſſet, *Dominus*, inquit, *dedit*, *Dominus abſtulit*, magis hanc Deo ſinēte, quàm diabolo cōnitente factam fuiſſe pie ac peritè ſentiens. Accedat his alia prorſus ad Dei gloriā pertinens inſpectio, vt mēdici nullo ſuo ſcelere, parētúmve, natiua cæcitas, aut illa dæmonũ, (vt Arabam iuuēculam,

Aug. in pſal. 77.

Reg. 3. cap. 22.

Iob. 1.

Ioan. 9.

Proſp. Aquit. prædicto loco.

culam, ſe, conſpecto Veneris ſimulacro domicilium diabolo præbentem omittam) in Iudæorum filias recèns baptiſmo emaculatas incurſio. Quam, cùm hæc ſcriberem, partim à Romanis quibuſdã pragmaticis, ad nos commeantibus auditam, mihíque vix tandem à Benedictino exorciſta, nimirùm de ſe pauca loqui ſolito, explicitam, velut Energumenicæ huic hiſtoriæ affinem ſubiunximus: hiſtoriæ inquam, ſiue præcipui huius (vt ita dicam,) actoris verſutias, ſiue ad eas diuinam quandam mulierculæ, iniquo alioqui marte congredientis conſtantiã, tum dictorum factorúmve in ea incidentium inſolentiam ſpectes, longè cæteris, quæ vſquam gentium in hoc genere contigerunt, mirabili, ne dicam rem ſecum altiùs reputanti, cuilibet formidabili. Quis enim non ſtatim ad diaboli, ſemetipſum prodentis, ſeriam, quippe adiuratione extortam, nominis Beelzebul editionem animo contremiſcat? Cui non eiuſdem, quaſi alterius dęmoniorum principis, vel tot infernorum procerum comitatu terribilis in ſimplicem ac innocentis vitæ

fœminam insultus, nescio, quid ingentis, atque adeò instantis mali isto seculo, omnium quidem, quæ ecclesiasticis historiis recensentur, teterrimo portendat? Quis non iuratissimi humani generis hostis, se toto inibi triennio grassaturum præferẽtis comminationes subuereatur. Quis non hoc veluti præcursore, propinquam

Apo. 20. satanæ vinculorum, quibus ab angelo per mille annos constrictus sit, dissolutionẽ, penitus ruituro, quod iam multorum

Dani. 11. mentibus exoleuit, iugi sacrificio ominetur? Enimuerò cuidam hîc prolato Cerberi nomine, Grecorum nugamenta obtrudi continuò succlamanti, nón, aiebã,

Ludo. Viu. Annotat. 13. *cap. lib.* 18. *de ciuit. Dei.* *Agrippa de occul. phil. lib.* 3. *cap.* 18. *Mar.* 5. *Luc.* 8.

tuus ille Porphyrius tricipitis canis fabulosum nomen dæmoni illi, qui in tribus elementis, aëre, terra, & mari nocentissimè versaretur, inditum fuisse contendit? ne interim hîc Legionis, seu vnius (quòd olim multitudinis fuisse diui Marcus & Lucas euangelistæ testantur,) nomen fastidiant, nec potiùs huic hæsisse arbitrentur, qui pro multis vnus iampridem sciscitanti Domino respondens, id vsurpauerit. Quin id ipsum vel iam recitata illa

Sulpitij

Sulpitij verba, vel fœda eiusdem medici- *De præstig. dæm. cap. 15. & 16.*
hinc ex variis dæmonum officiis & actionibus, illinc ex poeticis Deorum figmentis conflata nomenclatura perspicuum fecerit. Ridiculum verò scriptorem, qui dæmonem haudquaquam seriò, verum composita fraude, quò scilicet ad superstitionem illiceremur, nunc energumenas quasdam sibi ad aquæ lustralis aspersionem cohorrescere visas affirmet, nunc illum, cuius paulò ante memini, nobilissimum iuuenem se patris conspectum ob insculptam torqui, quem collo gestaret, Michaelis archangeli imaginem auersatum fuisse interpretetur. Ex quo subit animum recordatio earum respõsionum, quibus Ethnici, iidémque impudẽtissimi duo antistites Iulianũ Imperatorẽ in apostasia cõtinuerunt. Nã cũ in extis victimę ab eo solẽniter mactatæ crucis signũ circulo inclusum apparuisset, eóq; ambitu nullũ christiano dogmati fore finẽ alter eorũ, qui huîc sacro præerat, intelligeret, cõtrà tamẽ eodẽ significari mox illud cõprimendũ, & in angustũ redigendũ facilè procliui ad idololatriã principi persua- *Niceph. lib. 10. cap. 6.*

ſit. Is item cum celebre quoddam adytũ diuinationis gratia ingreſſus, horrendiſque in eo ſpectris conterritus ſe crucis ſigno, cui quaſi certo in periculis præſidio à teneris inſueuerat, inopinanter cõmuniuiſſet, ſubitóque viſa illa euanuiſſent, aufugere, inquit alter antiſtitum, quòd ſignum hoc, perinde atque execrandum piaculũ odêre. Adeò nullũ non effugium diuinis qualibet euicta miraculis perfidia inueniat. Quidni dęmones id odio haberent, per quod omnia quę ad ſalutem noſtrã conducunt, conſummari diuo Chryſoſtomo dicuntur: *Nam cum regeneramur,* ait, *crux domini adeſt, cum ſacratiſsimo cibo alimur, cum in ordine conſecrandi ſtatuimur, vbique & ſemper id victoriæ ſignum nobis aſsiſtit. Quapropter in penetralibus, in parietibus, feneſtris, fronte quoque, & mente magno ſtudio crucem inſeramus: id enim ſalutis noſtræ, id communis libertatis, id mãſuetudinis atque humilitatis domini ſignum eſt.* &paulò poſt. *Nã cùm ſolummodo loca, in quibus damnati pœnas perſoluunt, videmus, ingenti horrore cõcutimur: quid paſſurum putas diabolum, ſi te mucronem tenere viderit, quo vires eius Chriſtus diſsoluit,*

Homil. 55. in Matth.

&

& quo caput draconis magno ictu rotauit. Sed omissis iis quæ orthodoxis omnium scriptis pertrita sunt, hoc vnum exequamur, quòd non sine multorum ronchis fortasse retulimus: nempe dæmones ad suorum nominum in chartula scriptorũ combustionem, ceu diris cruciatibus actos, infrenduisse. Quos si corporali igne torqueri Augustino concedimus, non ità mirum sit huius, aut alterius elemẽti vim in distantia corpora agere. Proinde Gazensem illam virginem apud Hieronymum nonnullis verborum tormentis laminæ æreæ subter eius domus limen defossæ insculptis insaniisse: & quod in Hectore Boetio legimus, (ne interĩ frigidas Cardani cõfutationes morer) Duffi regis corpus simulachro cereo magicis artibus cõfecto sensim, ac tandiu, dũ id lẽto igni admotum liquesceret, cõtabuisse, ad extremum periturum, ni sagæ quædam in tanto maleficio maturè deprehensę, meritísque suppliciis affectæ fuissent. Cuiusmodi etiam facinus in Vtino rege nõ impunè attentatum Gallici quinque annales meminerunt. Sanè cum vina in doliis

vita diui Hilario.

Boeth. Scoto. hist. lib. 11. Cardan. de varietate rerum lib. 5. cap. 80.

condita florentibus pampinis quotannis mutentur, & Leo eminus conſpecto Gallo fugiat, vix Chriſtianę mentis fuerit cõ ſimilem in rebus verbíſque diuinis ſympathiam, & antipathiam inficiari. Mihi quidem Henricus Cornelius Agrippa, primum quoddã alligandis aut exterminandis ſpiritibus vinculum non temerè conſtituere viſus eſt, cũ idipſum per herbas, flores, animantia, & alias res naturales iis vel cognatas vel aduerſas confici cenſuit. Nam in Proclo, dæmones leonina frõte viſos obiecto repẽtè Gallo ex oculis ſpectantiũ abiiſſe legim⁹. Sed & Ioſeph⁹ ſe tũc Veſpaſiano imperatori eiúſq; filiis aſtitiſſe narrat, cum Eleazarus popularis ſuus dæmonem è cuiuſdam energumeni naribus ad olfactum radicis annuli pala incluſę coram extraxiſſet. Atqui Criticus ille verendum cum tanti authoris, vtpote in eiuſdem Hieronymi catalogũ relati, tum non aſpernandum honorandi ſui (ſic enim loquitur) pręceptoris iudiciũ non aliò quàm ſimulati à diabolo metus prętextu deprimere auſus eſt. Quaſi verò is qui ſibi diuinos arrogat honores, falſiſque

Lib. 3. de occul. philo. cap. 33.

Libello de Sacrif. & magia.

Antiq. Iudaic. lib. 8. cap. 2.

Catalog. de ſcrip. eccleſ.

De præſt. dæm lib. 2, cap. 5.

que miraculis asserere conatur, cuiusdã hominis, nedum radicis virtute subactus videri velit. Multarum Inuicem rerum dissensiones & consensiones non solùm fortuitus hominum vsus, sed & animantium, quæ sibi prodessent inuestigãtium, mira sagacitas prodidit. Quarum quidem, & plantarum omnium proprietatis naturæ've cognitio, magis Solomonis Iudæorum Regis collatæ cælitus sapientię, quàm Aristoteli, aut Theophrasto, qui harum historias operosis voluminibus edidere, accepto ferenda est. Ac fortasse isti ab illo plurima, quasi per manus sibi tradita, olim Gręcis Hæbreorum doctrinam egregiè suffurantibus retulere. Ad hæc incantationum ac coniurationum rationes quibus inde pellerentur morbi, hinc cedentes dæmones ita fugarentur, vt postea nunquam reuerti auderent, ab eodem Solomone compositas, aut falso retulit, aut magicæ cuiusdam impietatis nomine Regem diuinitus edoctum idem Iosephus, vir inter ecclesiasticos scriptores habitus, insulsè commendauit: si modò cũ hoc refractariolo quibuslibet piis

August. lib. 10. de ciui. Dei cap. 18.

Plin. lib. 8. cap. 27. & lib. 20. cap. 14.

vel impiis precibus ac imprecationibus vim omnem ſuſtulerimus, nec cum laudatiſſimo Imperatore potius harum exercitium quod magicis artibus accitum in hominum pernitiē prohibetur, ab eo, quod ad ipſorum ſalutem, & vtilitatem permittitur, ſeiunxerimus. Hiccíne qui commemorandis ſagarum maleficiis vetuſta poëmata plauſtris (vt ita dicam) vexit, ſimul eadem pauculis, quæ amatorio magis argumento inſeruiāt, adductis circūducet? Quàm verò rectius Fernelius, *hæc niſi multorum*, (addit iis partim recitatis) *fide comprobata conteſtatáque forent, non tam multas leges Iuriſconſultorum prudentia in magos tuliſſet, nec iis qui meſſes excantaſsent in lege duodecim tabularum poena conſtituta eſset*. At quam perpetua velut exceptione ſubmouendam vir argutulus inde cenſeat, quòd Furius Creſinus, cui dies à Spurio Albino curuli dicta fuerat, perinde quaſi latifundij vicini fruges in ſuum agellum carminibus pellexiſſet, ruſtico inſtrumento cum ſaturis bobus, validáque filia prolato, omnium iudicum ſententiis ſit abſolutus.

L. eorum C. de malef. et math.

lib. de abd. rer. cauſſ. 2. cap. 16.

de præſt. dæm. lib. 2. cap. 33. Plin. lib 18. cap. 6.

lutus. Sic quæuis ſacra ac legitima quantulicũque, qui iis fortaſſe obrepſerit, abuſus obtẽtu mirificus toto ſuo opere pręſtigiator eliminabit: nec ſubinde verebitur is, vel ſuo iudicio inſanus, quòd rem ob oculos poſitam, tótque illuſtrium virorum authoritatibus confirmatam floccipendat, ad Augerij Ferrerij impudens dictum confugere, *Non ſum*, ait, *ſuperſtitioſus.* quod ipſum vel ambobus tantum à ſuperſtitione, quãtum ab huic finitima religione diſtantibus vltrò ac libens conceſſero. Quis enim ab hæreticis totiens nobis obiecta duo Veſpaſiani miracula, cum hoc medico ſuperſtitioni attribuat? quæ potius commẽtitia pius quilibet exclamauerit, aut certè horum alterum diuina virtute, quippe Chriſti ſputeo luto cœci nati oculos linientis imitatione, principi credulo ſuggeſta, cõtingere, ſed ad vanũ Serapidis miraculum, maligno quodam Ethnicorum de rebus Chriſtianis ſilentio, tranſlatum fuiſſe coniecerit, præſertim euangelicis ſcriptis iſti coniectură ſuffragantibus: ex quibus promptũ ſit oſtendere, quoſdã, qui nec pij nec Do

de præſtig. dæm. lib. 4. cap. 16.

Cicero lib. 2 de Inuent. Sueton. In Veſpaſiano.

mini ſectatores eſſent, tamen fide ſua virtuti eius nominis accommodata illuſtria
Act. 19. miracula edidiſſe, ac ſolos Sceuæ Iudæorum Pontificis filios, qui id in vanũ, tentandíque numinis gratia aſſumpſiſſent, à dæmonibus, ſe quánam fiducia adiurarent exquirentibus, peſſimè habitos fuiſſe. Iſtis igitur in Apollonij Tyanæi miraculo Philoſtrati hircum mulgentibus, ac proinde doctos homines ſolo verbo, aut cum eodem ſacris vel characteribus, vel externis iſtius modi rebus, quibus indoctorum animi afficiantur, aſſumptis, curare poſſe contendentibus, neutiquam reor aſtipulãdum, ne hoc demum admiſſo diuini quoque verbi mirificam cũ ſynceræ fidei aſſenſu cooperationem prorſus inficiemur. Quid ergò doctum hominem Caluinum aſſequendæ, quam votis omnibus expeteret, apotheoſis viã, alia, quæ ſolo verbo initur omiſſa longè difficiliorẽ, vt inſiſteret, perpulit? nón vt inuocata eius quod in Geneuẽſi tẽplo prædicaret euangelij efficacia, quem inſtar mortui viuum hominem feretro imponi, ac media concione afferri curarat, è mortuis

de præſt. de. li. 3. cap. 16.

de preſt. de. lib. 3. cap. 16.

mortuis coram suscitare videretur? Sed is fucus diuina prouidẽtia humanos miserante errores actutum, & seuerè vindicatus est. talis enim personatus ille, qualem sese affinxerat, ab vxore, cur tãdiu ad ministri inclamationes obsurdesceret demirante, ac loculum prę animi impotentia tãdem aperiente, compertus est. Nec sic quidem de eo intẽtata aduersus egregium impostorem quæstio oppressa est, vt is dolus tum nostratium quorundam, tum Germanorum compluriũ illîc fortè astantiũ sermonibus, deniq; doctissimis Surij Staphili, ac Lĩdani scriptis nõ vbiq; gentium ac locorũ diuulgaretur. Quinimo similem per omnia casum Matthæo cuidam cum vxore sua, à quopiam noui euangelij concionatore conducto, in pago Bethzaze, non procul à Cracouia Poloniensi vrbe contigisse idem Lindanus affirmat. Mihi verò quæuis istorum hinc suas leuitates cõfirmare cupientiũ impostura longe tolerabilior visa est, illa Luteri temeritaie, qua vano tertij Eliæ, quod huic passim à discipulis tribuebatur, nomine tumefactus, dęmoniacam quãdam

Surius cõm. rer. in orbe gesta. Staphylus de viro Germanorum scrip. Intell. Lindanus dialogo. 3.

puellam anno 1545, è Misnia Vvitēbergam adductam secum corā multis viris eruditis parœciacę ecclesiæ Sacrario cōclusit. Quo diu & nequicquā is qui puellare inuaserat corpus dæmon adiuratus prorsus alienis à ritu catholico exorcismis vtentem, sic eludēdo perculit, vt se quàmprimum indè proripere conaretur. Sed ab hoc veteratore interi⁹, exteriúsq; confusis & intricatis ostij seris, eò tādiu, dum illud perrumperetur, manere coactus est. Hæc Surij tanquam de re notissima, verùm Staphyli aliquanto testatior narratio, vt qui se tum iuuenem miserādo exorcistæ astitisse, ac valida securi per ferreos fenestræ cancellos immissa, sibíque tradita fores effregisse, ac velut ergastulo vinctum soluisse profiteatur. Illud sanè inter vtrunque conuenit, Luterum se in suscipienda curatione admodū difficilem præbuisse: quod orthodoxo cuique minimè mirum videatur. Nā quî illo crucis mucrone, lustralis aquę aspergillo, quouis insuper fideli munimento, maximè autē eucharistico alexicaco exarmatus, hostem alioquin ineluctabilem confice-

cõficere potuisset? Addit Surius ex Thoma Moro, cuius scriptorum fidẽ nemini nisi valde improbo dubiam fore contendit, huc etiã non contemnẽda esse Deiparæ virginis suffragia. Quandam enim puellam ad eiusdem diuæ, quod Ippisuuitchio Angliæ oppido visitur, delubrũ, Rogero patre, aliisque nobilibus multis præsentibus, à dæmonio liberatã. Atque maius quiddã hoc in miraculi genere ex superius narratis colligitur, scilicet è Nicolæ corpusculo vigĩti sex dæmones Motano apud Lyessam adiurante exactos fuisse. Equidem (vt digressione propemodum luxata cõtexam) cum Vuieri libros euoluo, nihil mihi propiùs est quàm suspicari illos communi hæreticorum decreto in hoc editos fuisse, vt diuinis quibusque miraculis cauillandis certissima catholicæ doctrinæ signa reuelleret. Quóque modestiùs id facere videretur, non solùm falsa magorum Pharaonis miracula, sed & phantasticam Samuelis à Pythonica muliere excitationẽ fuisse vtrobique citatis quibusdam Augustini locis reuincere conatus est. Illos itaq; regi suo

Dialog. lib. 1. cap. 26.

De præstig. dæm. lib. 2. cap. 10.

digitum Dei, tãquam vnicum cyniphum pediculorúmve creandorum obicem ha ctenus excusasse, quòd hîc solus queat ex puluere, vel etiam ex nihilo quiduis progignere: contra Satanæ digito nihil veri procreante, & tantùm pro veris dolosa quędam spectra oculis nostris subiicientę. Magicas igitur ranas ęmulationę quadã Mosi obiectas merè imaginarias fuisse: tametsi rem se longè aliter habere vel allegatus à medico Augustinus perspicuè declaret. Multa enim (huius locũ alioqui fusissimum vt in pauca cõferam) dę magicorum à diuinis miraculorũ distinctione præfatus: ne cui iam mirum esset magicam illam potentiam quæ ranas serpentes & alia similia facere potuit, vbi ad muscas minutissimas, nempe ad cyniphęs ventum est, omnino defecisse, assumpta agriculturæ similitudine ex his Apostoli verbis, *Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit*, solius Dei esse ait, ex intimo ac summo caussarum cardine cõdere, ita vt nec parentes nec agricolas hominum & frugum creatores dicere possimus: tametsi extrinsecis horum

Lib. 3. de Trinit. Cap. 7. 8. & 9.

2. Cor. 3.

horum motibus & homines & fruges enaſcantur. Similiter nefas eſſe bonos aut malos angelos putare creatores, ſi pro celeritate ſui ſenſus & corporis, occulta nobis rerũ ſemina nouerint: eáque per congruas elemẽtorum temperationes latenter ſparſerint. Mundum namque ipſum inſtar pregnantium animantium grauidum eſſe cauſſis naſcentium: quæ in illo non creantur, niſi à ſumma eſſentia, *vbi*, inquit, *nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit eſſe, nec deſinit*. Itaque exemplo Agricolæ malos homines, nedum dæmones accidentibus quibuſdam forinſecus adadhibitis, quæ ſecreto naturæ abdita ſinu continentur, citiùs vt erumpant & foris exerantur numeros & menſuras, quæue ab illo rerum omnium libratore & opifice in occulto acceperint pondera explicare poſſe. Nec huic dicto obeſſe videri, quòd quidam vitæ ſpiritus, tũ ſagax hinc ſalutaria, illinc noxia fugiendi ſenſus animalibus inſit: cum præterea dæmones, qua variarũ rerũ tritura ac commixtione quęuis animata aut inanimata progignãtur, intelligant: ac paucos lateat homines

Lib.3. de Trin.cap.9.

eadem corpora citiùs æſtate quàm hyeme, citiùs calidioribus quàm frigidioribus locis vermiculari. cætera verò tantò difficiliùs ipſi aſſequuntur, quantò ſenſuum ſubtilitate ac corporum mobilitate dęmonibus cedunt, quibus quanto facilius eſt vicinas rerum creãdarum cauſſas ab ipſa elementorum, in qua iam cuncta creata ſunt, textura contrahere, tantò mirabiliores eorum in ranis, & id genus aliis animantibus excitandis exiſtunt celeritates. Excitandis, inquam, ſolius enim Dei creatio eſt, nõ reptiliũ modò, verùm etiam inſectorũ & aliorum cuiuſque generis animalium: horum verò creandorum acceleratio penes magos aut dęmones, quatenus ipſis à deo permittitur, cẽſenda. Proinde Auguſtino non alia occurrit ratio, cur qui ranas & ſerpentes fecerant, cyniphes quoque facere non potuerint: niſi, *quia maior* inquit, *aderat prohibendi dominatio per ſpiritum ſanctum: quod etiam magi confeßi ſunt dicentes, digitus dei eſt hic.* Non me latet huc quoque quendam Ioſephi locũ ab hoc nouo Apolline citari, quo, Aegyptiorũ virgas magis draconum

D. lib. 3. de Trin. cap. 9.

De antiq. Iudai. lib. 2. cap. 5.

nũ ſpecie reptare viſas, quàm reuera harũ in illos transſmutationem factã fuiſſe, dici contendit. De tranſmutatione vnius ſpeciei in alteram nihil ille prorſus: qui, vt reor, hanc ſolius dei, eadem ratione, qua & ſolidã cuiuſque rei ex nihilo creationem, eſſe non ignorauit: ac potius veros dracones, eo quo diximus modo, celeri interea virgarum per incantationes ſubductione, in conſpectum prodiiſſe cẽſuit. Porrò autem Samuelem non verè, ſed imaginariè à diuinatrice illa excitatũ fuiſſe, ſic ex duobus Auguſtini locis colligit medicus, vt interim alternantis vnius reſpõſiones, infirma alterius in hanc partem propendentis argumenta diluentes, diſſimulet. Quæ quò facilius inuicẽ collata paucis reſoluamus: quis, quæſo, poſt Chriſtum à Satana ſuper pinnam templi ac excelſum montem ſublatum, ab impuris tortoribus flagellatũ, crucifixúmque indignum facinus exclamet, arbitrari virum natiuitate ſanctum, & vitæ operibus iuſtum, magicis artibus, nẽpe, quod ille ait, occulta dei diſpenſatione, huic, quem diuina ſententia percuſſurus erat,

De præſt. dæm. lib. 2. cap. 8.

Quæſt. ex vet. teſta. cap. 27. & lib. 2. ad Simplicianum. quæſt. 3. de præſt. dæm. lib. 2. cap. 9. & 20.

obtemperantem excitari potuisse? Quis item Prophetæ cras secum Saulem fore prænuntiantis dictum, nō potius ad parem mortis conditionem referat, quàm vt dæmonem sub illius persona mētitum fuisse interpretetur? maximè cum verissimum sit vtrunque crastino illo die inferis, quanquam ingenti caho dissitis, locis, constitisse? Quis non æquè Samuelem à Saulo Rege, atque dauidem ab Abigea Nabalis vxore adoratū ferat? magis denique huius, quàm illius humanam venerationem fuisse cōiiciat? Cæterùm qui controuersæ rei exitum faciliorem, intellectumq; expeditiorem proponit, ac nihilo magis inquisitionibus diligentioribus præscribendum censet, vtique ampliore deliberatione veritati locū superfore iudicat. Atqui idem alibi Samuelem ipsum magicis artibus excitatum (& si nonnullis aliter visum fuisse profiteatur) scriptura inter canonicas concilio Carthaginiensi tertio, & aliis deinceps recepta comprobat: secundum quam is quidem iam humanis rebus exemptus, nisi verè excitatus fuisset, frustra in patrum

Reg. 1. cap. 28.

Reg. 1. cap. 25.

Lib. 2. ad Sipl. quæst. 3.

Aug. de cura pro mortuis gerēda cap. 13.

Eccles. cap. 46.

laudibus

laudibus prophetasse diceretur. Perperã igitur ab hoc Medico quisquis ille monachus eò reprehensus est, quòd publica cõcione Augustinũ velut eius sententiæ authorẽ laudauisset, nec ideo minus huic se recitandis eiusdem, quæ pro hiperbolico, vix sacris in narrationibus tolerãdo, sensu facerẽt, verbis studio copiosiorẽ asserẽti (vt est cuiq; nostrûm perspectissima heretici fides) auersabor, dũ vicissim iis quę cognatũ literę intellectũ sustinẽt, supprimendis ęquo studiosiorẽ fuisse fateatur. In eo aũt multũ elaborãti, ac leuibus admodũ argumẽtis depugnãti prę terquã Saadias & Aias rabini seriã nec arte cõfictã Pythonicæ, tanquã quid solito augustius cernentis, exclamationẽ fuisse autumãt, fidissimi illius bibliorum paraphrastæ, nil præstigiorum ibidem comminiscentis, visenda authoritas, omnem anxietatem facile deterserit. Nemini porrò longior sim, si longius quoque ducendam huic nostræ historiæ aduersus hæreticorum cuneos substructionem intellexerit. Neque enim alio mihi visus est tendere medicus, quàm vt diuina miracula

De præst. dæm. lib. 2. cap. 10.

De præst. dæm. lib. 2. cap. 9.

Ioseph. antiq. Iud. li. 6. cap. 15.

magicis generatim admissiis, sed interim perpetua ridiculorum iis subinde aspersorum exceptione submotis, tandiu suspenderet, donec sectarij nouis dogmatibus confirmandis suam, quam nec cœlestibus signis cõprobare, nec legitima successione tueri poterant, vocationem, ferro sancirent. Itaque Fernelij, dæmonem homines integrè persanare posse censentis, dicto, licet prima fronte piis auribus absurdo, ea ratione subscribã, quòd multò facilius sit dexterrimo ipsi, quippe artes omnes callẽti, noxios quosq; humores corpore subducere, quàm ranas eo, quo retulimus, modo corã suscitare. *At tantũ*, ait, *beneficium in hominem, quem perpetua consectatur inuidia, cõferre haudquaquam velit: fictam duntaxat simulatámque sanitatem exhibet, cuius admiratione peruersas hominum mentes irretiat, sibique infidelitate subiuget, hoc vnum cũprimis adnitens, vt ab his, quos seduxerit, diuino cultu & honore dignetur.* Hucque adeò diui Abdiæ ac Tertulliani in contrarium adductæ authoritates prorsus referendæ, vt ægrotantes vel sanare nolit, vel quod huic naturali quadam

Lib. 2. de abd. rerum causs. cap. 16.

Abd. vita d. Barthol. Tertull. in apoleg. cap. 22.

dam

dam facultate concessum esse postea dicemus, à maiore potestate prohibitus dęmon exequi nequeat. Canonis verò magicas artes nil hominum animaliúmve morbis remedij conferre posse asserētis, præterquàm quòd ipsius in eiusdem Augustini, quæ quidem extant, operibus autographum desideratur, hoc etiam prolato non magnopere commouear: cùm inter laboriosas Gratiani compilationes nonnulla ex eiusdē diui vtróque versum scriptis retractata comperiantur. Enimuero vix quisquam dæmoni, peræquè laxatis à deo habenis, plus in hominibus ac iumentis sanādis difficultatis fore crediderit. Ac ne audita modò renarrem: in duobus meis, saltem horum vno (si fortè alteri vlla insons magia propitiauerit) diabolicam planè sanationē expertus sum. Nam cum Patauio Romam petens, Clementis septimi morte renunciata, mox vnde veneram (quòd quæque versus vrbem itinera latrociniis paterent) retroflexurus Bononiæ substitissem: ibíque famosissimum veterinarium nactus, ad generosi, quo tūc vehebar, muli, vtpote far-

26. quæst. 7 Can. admoneat.

Can. nec mirum 26. q. 5.

ciminoſo morbo laborantis ſanationem animum adieciſſem: huic autem difficilẽ curam in ſe recipienti, nec idcirco pharmaco collyrióue aliquo vtẽti, ſolùm dextræ manus palma ſeſſili tergo leuiter impacta, ſic in aſininas aures inſuſurrãti, vt ilico mihi meus ille diſtentiſſimis omnibus mẽbris, quaſi pelle foras erupturus, inhorreſceret: huic, inquam, vel exiguã pro hoc operæpretio, cuius nullũ adhuc extaret veſtigium, mercedem repoſcẽti: ad hęc pro ſumma eius curationis Petroniano templo ad diui Iobi altare vnius miſſę celebrationem iniungẽti, cum neutrum annuiſſem: ſiniſtram omnẽ, ait, de me ſuſpicionẽ omitte, ac quicquid huic mulo actum eſt, diuinę virtuti acceptum refer: ſimul rudis ac villoſæ pellis cruenta pleraque foramina oſtendens: non citiùs quam iſtęc obducta fuerint, Patauiũ attigeris. Hæc ergo non temerè, vt quatriduo poſt euentus docuit, iactanti veterinario, quin mulum nunquam poſthac in eum morbum, ſeu ſuili, ſeu gallinario ſtabularetur recaſurum vltro ſpondenti, quidam mihi, hîc etiamnum vicinus, tũ quidem

quidem fidissimus viæ comes, tres Iulios argenteos, quorum vnum prędicto sacro ille impenderet, reliquos duos sibi habiturus, pro me, nihil tale mandante, dinumerauit. Nec huic admodũ dissimile in equo eiusdẽ muli longis cis, trãsue Alpes peregrinationibus socio, vix circumacto, qui tricesimus quintus huius seculi numerabatur, anno cõtigit. Quem cum patriam mihi vrbem Lugdunum reuersus Gratianopolim dicis caussa proficiscenti amico (qui nunc in regij fratris longè illustrissimi Andium ducis comitatu est) commodassem, ísque aliquantò pòst domi reductus, dextrum à tergo pedem, qui antea semper ab admoto eius vngulę candenti ferro intactilis fuerat, leuiter & placidè surrigendum agasoni præberet, propterea commodatario illi, quas mihi paulò pòst agebat, ipsi potius referendas gratias, interim qui calce mãsueuisset equus sciscitans, excepissem: Sanè, inquit, medio penè itinere, quippe saxeo ad Arthasium calle, cum soleam, quo maximè verebar pede, excussam animaduertissẽ, proinde ecquis eo viculo faber ferrarius,

ecquod calcitroni arctè capistrando, nullóque discrimine calceando statumen esset solicitè requisiuissem, ecce mihi continuò prodiit pannosus quidam vetulus, qui discalceato pedi, à pusione citra vllũ renixum sublato, repertam eandem soleam ferreis clauis suffigeret, ac modica stipe accepta nunquam hinc recalcitraturum equum polliceretur. Itaque amico illo dimisso, Stephanum Faium, eiusdem Arthasij beneficiarium Priorẽ (vtẽdum est enim nouis ac vulgaribus, cum prisca, & latina desunt, vocabulis) statim de hoc mirifico sene, tanquam suæ ditionis homine, aggressus: omne illic, ait, imperium penes Maubeci Toparcham est, cui non ingrata, perinde vt nec cæteris nobilibus, sit eorum sciẽtia, qui magicis artibus accincti, toti equitio, interea nemini incommodantes, prosunt: cuiusmodi hunc esse vulgò ferunt, nullis ideò criminationibus, vt Constantiniana quidem lege videtur, implicãdum. Sed hac mihi potior esto põtificij canonis authoritas: nec tanti nobis vel equorũ omniũ iactura fiat, quanti æternus miserandi v-

d.l.eorum c.de malef. & math.

nius

nius viri, qui ſe ad artem iſtam aſſequendam dæmonio mãcipârit, interitus. Optimum verò iuris interpretem habemus in vetuſtiſſimo catholicæ eccleſiæ ritu, quo dominicis quibuſque diebus quicquid vſquam magorum, ſagarum, ac diuinorum eſt, anathemate, ſine vlla boni malíve finis exceptione, diſtringitur. Tũ igitur nobis, illud Bononienſe cum hoc Allobrogico facinus conferentibus, cùm ſibi vtrunque magicum videri, nec veterinario illi de ſe magnificè loquenti, artémque ſuam à rebus diuinis cõmendanti credendum eſſe diceret: non vlla, inquam, magica remedia humanis quæſita corporibus, aut in agreſtibus locis innocenter adhibita ſuffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis, grandiníſque lapidatione quaterẽtur fruges, cum piiſſimo illo imperatore admittes? immò verò (ſuſcipit hîc arridens) eo in genere magna iuriſprudẽtiæ noſtræ facta eſt acceſſio iis reſponſis, quæ ad calcẽ eius libri, qui ſingulari vanitate catalogus gloriæ mũdi inſcribitur, reiecta ſunt: omnem enim nobis de eo dubitationem *d. l. eorum.*

ſuſtulere, quod conſtanti fama inaudieramus, nunc longè alium ab illo, quem veteribꝰ fuiſſe Plinius refert, locuſtas immenſos cœli tractus permeantes, & dira nube meſſes noſtras contegentes, vt has vel ſuo contactu adurant, vel morſu erodant profligãdi morem compertum: quippe ſtridulis ſeu elinguibus ipſis aduocatum dari, qui cauſſam iure gentium nixam coram eccleſiaſtico iudice aduerſus promotorem, quem vocant, tueatur: ità tamẽ vt publica vtilitate priores ſemper obtinente, ſecundum latam in eas ſentẽtiam gregatim vẽto ſublatæ procul in maria, flumina, lacus aut ſtagna retrudãtur. Atqui miſſis, vel potiùs ductis in ſeria iocis, Apoſtolorum coryphæus magiæ ortum ab præuaricatoribus angelis ità repetere viſus eſt, vt improbitate magis humana hanc à naturali in Mathematicã, veneficam, Goëtiam, Necromãtiã, Theurgiámque deſciuiſſe cõiiciamus: ex quo ille Meſræũ Chamæ ſecundogeniti Noę filium à dæmone, quòd hunc importuniùs fatigaret, fulmine ictum conflagraſſe: nec populares ſuos, qui tam fœdo exitu

lib. 11. cap. 19.

Clem. lib. 4 recog.

tu

tu conceptam de eo opinionem prorſus abiicere debuerant, illum ſecus, ac dei amicus eſſet, velut igneo curru ad cœlos delatum habuiſſe, diuiníque ſyderis (vnde poſterius ipſi inditum Zoroaſtri nomen.) inſtar coluiſſe: hoc denique exemplo multis artium repertoribus in Deorum numerum relatis orbem terrarum impietatis fumo oppleuiſſe profiteatur. Multis porrò euangelica prælucentis interdiu ſtellæ apparitione principio innocentem, hoc eſt, naturalem aliquam extitiſſe magiam cẽſentibus, tum genethliacis ſuæ matheſis certitudinem inde conſtare arguentibus, vtrobique reclamans Chryſoſtomus, primo Chriſtũ, ſi ſecundum aſtrorum legem naſci voluiſſet, minime aſtrologiam cum fato ipſo ſoluturum, omnémque vaniſſimæ huius artis officinam obruturum fuiſſe. Ad hæc magis, tanto terrarum ſpatio a virgine ſubin de paritura diſſitis, horoſcopos, quibus futura proſpiciendi initium ſumerent, defuiſſe: poſtremò hoc ſyderali, quippe momentaneo, cæteríſque diſſimili motu nihil ad aſtronomicã rationem conſequi

homil. 7. in Matth.

potuiſſe contendit: ex quo probabile ſit
Num. 24. illos non aliqua magia. Sed potius Bala-
in matth. mj longe antea exorituram ex Iacobo
cap. 2. patriarcha ſtellam prędicentis vaticinio,
vt diuus Hieronymus cenſuit, aut alia
diuina inſpiratione ad Chriſtum, quem
triplici munere, Deū. Regem, & homi-
nem agnoſcerent, adorandum ſuis ſedib⁹
excitos fuiſſe: ac nihilo magis imperato-
rio, cuius modò verba protuliſti, reſcri-
pto motus, innocentem aliquam magiã
(cuiuſmodi fortaſſe hæc iudicati in locu-
ſtas executio) aſcribere uerear: cum & So
lomonem cælitùs edoctum varias incan
tationes, quibus omne genus morbi pel-
leretur, compoſuiſſe, verēdi inter priſcos
Antiq. Iu. eccleſiaſticos iudicij author Ioſephus, &
li. 8. cap. 2. Thobiam iuniorē Raphaële angelo com
monente, partim toſto piſcis, quem brã-
chia apprehenderat, corde & iecore fu-
mum, quo immũdus ſpiritus fugaretur,
Thob. 6. & excitaſſe canonica etiam ſcriptura teſti-
8. cap. ficetur. Itaque non quicquid mortales
verbis ſolis, vel rebus quibuſdam adiun-
ctis ſupra naturam moliuntur, id conti-
nuò ad infamem Goëtiam duxerim refe
rendum.

rendum. De hoc tamen Theologi ipsi, quorũ vtique arbitrio staturus sum, amplius viderint. mihi quidẽ ab his rectissimè ea magiæ operatio improbari videtur, quę non physicis in ligaturis & periaptis, sed præter naturę ordinẽ nullius extrinseci ad eius qualitatẽ pertinentis accessione fiat: qualis interdũ aliis in amuletis dispicitur, vt in verbo Abracadabra Serẽ.cap.52 aut græcis duabus literis P. & A. chartę Plin.lib.28 inscriptis, eóq; modo, quo Plinius & Se- cap.2. renus tradunt, collo appensis, quò his lippitudo arceatur, illo febriũ & hemitretęi liberatio contingat: quibus non magis quàm in hominis patibulo suffixi calua d.lib.28. catapotiis ad rabidi canis morsum con- cap.1.Plin. ficiendis, aut aliter occisi dente gingiuis in dolore scarificandis, naturalem medicandi vim deprehendas. Sanè simul ac retulisti ab illo veterinario nescio quid muli tui auribus iususuratum, subiit animum cogitatio, an quemadmodum Pli- d lib.28. nius de asino, si quis huic in aurem dixe- cap.10. rit se ad scorpione percussum, protinus malum transire scribit, surdis iisdem auribus sic incantata fuerit farciminosi

morbi causa, huius vt inde curatio statim sequeretur. Vtcunque diabolicam quandam pactionem istius modi operationibus inesse cum theologis suspicor, hucque maiore impiorum numero iamdudũ toto pectore omníque studio incumbẽte factum arbitror, vt antea bipertita magię acceptio ad hanc deteriorẽ, etsi nonnullo diuinorum verborum inuolucro fucatam, restringeretur. Cæterùm quod ad equi tui curationem attinet, hãc prorsus improbandam ex eo iudicaui quod non ita pridem Arthasij (quò mihi subcesiuæ vicibus, vt scis, itiones) è vetulo ipso cum filio iam natu grandi rixante audieram. Isti si quidem ad meas sui erga patrem pudoris officiiue commonitiones excipienti, hunc pro patre minimè habendũ, qui filium suppeditando victui suas artes edoctum nollet: æquum verò, subdit ille, postulares, nisi vna in familia me vno dæmoni mancipato plus satis esset: hísque potiùs tibi ægrè victitandi modum commonstrarem. Mihi quidem haud temerè hîc responsum fuisse existimanti, atque adeò miranti, eum, ad quem

quem vndique ſanandis non ſine merce-
de iumentis concurritur, Codro paupe-
riorem eſſe, ſuccurrit nullum maius ad
excitandam mortalium impietatem ma-
lignis ſpiritibus fore inſtrumẽtum, quàm
ſi quoſcunque hi pro libito ſuo ditare poſ
ſent. Summè igitur cautum eſt, ne homi-
nibus vſuueniret vllo rei familiaris incre-
mento magica miracula facere: Deo, à
quo omnis virtus & poteſtas, ita dæmo-
nibus habenas immitente, vt has vel ad-
ducat, cùm velit, vel remittat. Vt in diuo
Iobo legimus: primùm fortunis omnibus *Iob* 1. & 42.
à Satana ſpoliato, deinde eius tyrannidi
corpore tenus permiſſo, ſed hac poſt pau-
lò cum bonorum omnium reſtitutione
liberato. Hîc ego, proinde ab honeſta
Bononienſis veterinarij conditione, vt
quam peculiato rémque facienti viro de-
cens veſtitus indicet, inculpatam mei
muli curationem cẽſeas. imò, inquit, præ-
terquàm quod vulgò dicitur non quic-
quid relucet, id aurum eſſe, mihi parum
arridet ad brutorum animalium ſanitatẽ
penè conducta miſſæ celebratio: quam
vix quiſquam ab mera ſacrorum profana

tione, nedũ impia ſuperſtitione aſſeruerit. Enimuero bonis maliſue artibus vtriuſque iumenti curatio contigerit, nõ magnopere tua referat; dum alieno maleficio, nullius interim culpæ cõſcius, fruare. Hactenus ille, plura fortaſſe dicturus, ni colloquium noſtrum, qui tum intempeſtiui ſuperuenere clientes, diremiſſent. Quod ipſum ſanè, tanquam huius inſtituti proprium eò libentius literis mandaui, quòd grauiſſimis veterum Senatorum qui Faio eidem, aut in gymnaſiis, aut in foro ſodales fuerant, præiudiciis, mea in hũc ordinem acceptior fuerit cooptatio, me nanque eius, qui ſuorum æqualium lõgè conſultiſſimus haberetur, nec ſe natu minoribus vel iuris intelligentia, vel dicẽdi lepore cederet, fratris filium (cùm ambo tantùm ex patruelibus ſobrini eſſemus) neque iniucundo, neque inepto, vt cui inter cognomines diſpar ætas reſponderet, errore opinabantur. Itaque minimum feciſſe videar, ſi per occaſionẽ tanti viri dudum defuncti, prope ſeneſcentem laudem ab obliuionis iniuria vindicem: quam ſi adæquare cum meritis velim:

lim, iusto volumine fuerit opus. In quo quidem non mihi quicquam (vt in auitis virtutibus, nullius iam refellente memoria) fingere liceat, tot præsertim superstitibus, qui eiusdem, sua in ciuitate, totaque Celtica Gallia ecclesiastico iudicãdi munere primas obtinentis, pleraque pro religione catholica cùm egregiè facta, tũ diuinitus dicta meminerunt. De meis mulo & equo plus nimio fortasse diximus. Attamen (vt eò demum vnde digressa est redeat oratio) vtriusque perfectam fuisse sanationem ferè senio exhaustæ vires, sic vt vili abalienatione hic clitellis, ille helcio addiceretur, satis supérque declarârunt. Stet igitur ex prædictis Fernelij nostri sententia de cacodęmonum eudæmonica, vt ita dicã, in persanandis hominibus potestate, quam à summo rerum omnium opifice acceptam, vix, ac ne vix quidem ipsi, nimia nobis quantuluncunque commodandi repugnantia largiantur: ita tamẽ vt simplicioribus in suam sectam pertrahendis multiplicem suarum virium speciem variis illusionibus ostentent. Nequeo mihi temperare quo minùs

hîc insignes, quibus diuina miracula à magicis distinguantur, notas, relatis ex diuo Clemente eiusdem Coryphæi verbis
d.lib.3.rec. transcribam. *Ille, qui à malo est*, inquit, *signa quæ facit, nihil prosunt: illa quæ facit bonus, hominibus prosunt. Nam dic quæso, quæ vtilitas est ostendere statuas ambulantes, latrare æreos lapideósque canes, salire montes, volare per aerẽ & his similia, quæ dicitis fecisse Simonem? Quæ autem à bono sunt ad salutem hominũ deferuntur, vt sunt illa quæ fecit Dominus noster, qui fecit cæcos videre, surdos audire, debiles claudos erexit, languores & dæmones effugauit, & alia his similia, quæ etiam per me fieri videtis. Ista ergò signa quæ ad salutem hominum prosunt, & aliquid boni hominibus conferunt, malignus facere non potest, nisi in sine mundi tantùm: tunc enim admiscere ei cõcedetur aliqua etiam de dextris signis: id est, vel vt dæmones fuget, vel ægritudines sanet: Et propter hoc tanquam qui excesserit terminos, & in semetipsum diuisus sit, ac semetipsum impugnauerit, destruetur. Et propterea dominus prædixit nouissimis temporibus tentationem futuram talem, in qua decipiantur, si fieri potest, etiam electi. scilicet indiciis signorũ confusis perturbari necesse est eos, qui in discernendis*

nendis spiritibus & virtutibus videantur eruditi. Quæ diui Petri verba velut in Clemētis historia relata scitè enarrās Chrysostomus, inter Christi & diaboli ministros hoc differre ait, quòd illi vtilia ad hominum salutem, isti inutilia ad ostentationem, qua solummodò videntibus admirationem excitent, signa faciant. Futurū verò nouissimis temporibus, vt ipsis quoque concedatur vtilia signa facere: Christi ministris tum maximè dignoscendis, quum pristinæ in edēdis signis potestatis expertes omnino erunt. Quod ideò cōstitutum à domino fuisse diuus idē Chrysostomus existimat, quòd sicut ait Sapiētia, *tēpus fuit lapides congregandi, tempus dispergendi. Congregandi quādo lapides viui, id est fideles, ab infidelitate vocabuntur ad fidem. Dispergendi, quando ecclesia,* inquit, *tradetur ad tentationem, vt lapides, id est Christiani, qui non proficiunt in ædificationē corporis Christi, foras proiiciantur. Donec ergo fuit vocatio ad fidem ex infidelitate, fecerunt signa serui Christi: quia signa diuinæ vocationis testimonia sunt, vt prædicationis veritas miraculis commendetur. Cessante autem vocatione incipiet seductio reuocās*

In Matth. cap. 24. homil. 40.

Eccl. 3.

homines à fide ad infidelitatem. Incipiente ergo seductione tradenda sunt adiutoria diabolo, id est, potestas faciendorum signorum, vt signis & prodigiis mendacia sua pro veritate cõmendet.
Ex his igitur constat nondum vocationis tẽpus desiisse, cum hoc opusculo nuper ingens miraculum in Veromanduis factum, ac eius generis alia vbique gẽtium & locorum conuincendis (vt reor) hæreticis etiamnum fieri: tum secundum hæc nõ paucos à suis erroribus resipiscere intelligamus. Quanquã multis in fide nutantibus, & à Caluinismo in cognatum huic atheismum migrantibus, propemodum mihi instare nouissimum illud tempus videatur. Iam verò illis Petri verbis colligitur dæmonibus, non tam potestatem quàm voluntatem dextra eadem signa faciendi adeptam fuisse. Quis enim, quod medicis noxios ægroto corpore humores gradatim subducere conceditur, id ab illis omnium artium callidissimis, naturali sua potestate momento fieri neget; hanc siquidem solùm nouissimis tẽporibus eatenus cõcessam iri obnuntiatur, quatenus sola, vt dixi, nobis commodandi

dandi repugnantia tantisper eadẽ vti distulerint, dum in semetipsis diuisi solitæ volũtatis terminos excesserint, ideóque veteri sua tyrannide funditus euersa in ęterna demum vincula coniiciantur, Cæterùm quæ ab ipsis reapse fieri, aut effigi queant miracula dispiciamus. Sanè Simoni mago in procliui fuit ità ab illis æreis lapideísve canibus, dęmone collectum ad id aërem immitente, latratum exprimere, ac tubicine buccas inflante classicum canere: ità statuas ambulantes omnium aspectibus proferre, ac circulatori acetabulis caliculísve astantium oculos perstringendo fallere. At cui mirabilem Christi in cœlos ascensum imitanti, non impunè fuit diuinitatem ementiri: quandoquidem illum, diuis Augustino, & Epiphanio post Abdiam referentibus, idem Petrus sublimem ferri passus est, hactenus vt fugatis ipsius oratione vectoribus grauiore lapsu coram omni populo ruens ad scopulũ miser allideretur. Reapse morborum curationes posse fieri à dæmonibus, vtpote dextra aliquando signa facturis, non iam Fernelio me-

Abdias in vita d. Petri.

Aug. Ser. 3. de Sanct.

Epipha. aduers. Simo. 7. hæresim.

Niceph. lib. 2. cap. 36.

D. lib. rec. dico, ſed Petro apoſtolo authore didicimus. Ac fortaſſe contradicentem archiatro medicaſtrum latuit, illud poteſtatis à voluntate diſcrimen, cuius etiam ignoratione magorum Pharaonis verba hæc, *Digitus dei eſt hîc*, perperam ab eo accepta fuiſſe ſupra oſtendimus: tam enim facilè erat illis cyniphes, quàm ranas excitare, ſi ad eorum incãtationes nutu alioqui diuino reſtricta volũtas acceſiſſet. Et de naturali iſtorũ poteſtate loquimur, tam ſanandis quidem ægritudinibus angelica, quàm loqui, ambulare, quídve aliud ſimile agere, noſtræ, id eſt humanę facultatis eſſe ducimus. Nam etſi nihil non cooperanti, aut certè toleranti diuinæ poteſtati tribuimus, tamen haud ſecus dęmonibus ægritudines ſanare, quídue aliud boni agere, ac nobis loqui & ambulare prohibitum eſt: nobis graui angina, podagra alióue morbo retentis: illis ea, quã dixi, repugnantia, vel potius diuina prouidentia cohibitis: ne qui ſemel à priſtina de omnibus promerendi natura & gratia excidiſſent, dextris iiſdem ſignis paſſim, ac præfinito ſtatóque tempore abuterẽtur

tur, maximè nouiſſimo illo, quo quiſquis eius, qui diui Auguſtini operibus inſcriptus eſt, de *Antichriſto* libelli author, fore prænuntiat, vt non ſolùm huic perditionis filio, ſua illa in ſanandis hominibus aut animalibus dextra poteſtate vti concedatur, verùm etiam, citra illam, ad huius nutum arbores modò frondentes areſcant, modò arentes frondeſcant, tum diuerſarum inuicem ſpecierum aliæ in alias tranſmutentur: ſed & ſole obnupto terræ ac maria fœdiſſimis tempeſtatibus conturbentur, eadémque reducto ſubinde lumine tranquillentur, denique mortuorum corpora multis ſpectantibus reuiuiſcant. Etenim ipſum poſtrema hæc diabolicis præſtigiis, magna piorum, penè tunc animis concidentium, anxietate exhibiturum, nec multò pòſt cum ſuis colluſoribus perpetuò ruiturum, ex quibuſdã ſcripturæ locis nõ inſcitè vaticinatur. Porrò autem illud Pythonicæ mulieris Samuelem excitantis miraculum, cum altero diui Spiridionis Cypriorum Epiſcopi, magis nuda facti ſpecie, quàm genere & qualitate ſimili conferentes, *Tripar. li. 1. cap. 10. Nicep. li. 8. cap. 42.*

magica diuinis quodammodo committamus. Et huic quidem magna fuit natæ suæ Irenes virginis ſepulchrum adeundi fiducia. Aderat enim qui ſe apud illã, paulò antè viuẽtem, quid pretioſum depoſuiſſe fictis nequaquam lachrymis teſtaretur. Nihil verò tam depoſito conuenire, quàm bonam fidem ſenex intelligebat, ac proinde non ingratam fore ſuam erga defunctæ manes ſolicitationẽ. Tantæ igitur ſimplicitati ac fiduciæ præſto fuit abſoluta Dei poteſtas, quæ patris inclamationi filiæ obſequentẽ, hoc eſt, quo loco depoſitum ipſa obruiſſet, indicãtem ſpiritum faceret. Sanè non eandem mulieri illi magicum facinus aggrediẽdi, exequendíve confidentiam fuiſſe, aut eius à legum tranſgreſſione metus, aut cõſpecto Samuele, quaſi de terra deſcendente Deo, ſtupor oſtendit. Nullam enim dæmonum poteſtatem, qua ſola vtebatur, extra mandatas ęternis ſuppliciis animas hîc eſſe ſciebat. ne quis interim arbitretur inuitum prophetam ſe optatis huius Regis, quem diuina ſentẽtia mox percuſſurus erat, aſpectibus ſtitiſſe, ſed magis id

1. Reg. cap. 28.

occulta

occulta Dei (vt authoris toties citati verbis vtar) diſpenſatione contigiſſe. Hac ſiquidem multa, quæ prima frōte extra ordinem, & præter ius fieri cenſeas, vt iuſtū Iobum Satanę flagris vlcerandum tradi, vel alicui dæmoni in pueri è baptiſterio exeuntis corpus ingreſſum permitti, quæ nihilominus æquiſſimo Domini, velut ſuæ gloriæ, aut noſtræ omniū ſaluti proſpicientis iudicio ſtatuuntur. At quæ abſoluta poteſtate fiunt, tam ſimplicia ſunt ac Deo naturalia, quàm eidem naturale fuit naturam ipſam, id eſt mundum vniuerſum, & quæ in eo continētur omnia, ſolo omnipotentis verbo ex nihilo condere. Hæc autem hominum miniſteriis ab hoc fieri dignoſcentur, cum his nihil à diuina virtute alienum admiſcebitur: vt ſi diuum Lucam duos ægrotos, vnum ſolo verbo, alterū adhibitis pharmacis curantē cernas, cōtinuò iſtū humana, quippe viri qui medicas artes antea profeſſus ſit, facultate, illū diuina omnino poteſtate ſanatū iudices. Nonnullis igitur obiecturis, quāuis celebrem cæci nati illuminationem non ſimplici abſolutáque po-

Aug. lib. 2 ad Simplicia. quæſt. 3

testate contigisse, rectè, inquies, si sputi lutei, vt potè ad id quod agebatur, cõtrarij, adiectione nõ magis ipsius virtus elucesceret. Quinetiam solo dominicæ vestis tactu, absque eodem verbo mulieri profluens constitit aluus. Similiter Innocentię, Carthaginiẽsium matronarũ primariæ putrefacta cancro mamilla, solo crucis signo, ab obuia fortè fœmina, sacrum exeũte lauacrum super eam facto, cõfestim sanata est: interim medico, qui antea morbum incurabilem pronuntiârat, ad compertum miraculum contemnentis instar caput quassante, & subinde prorumpente in hæc verba, *Quid grande fecit Christus sanare cancrum, qui quatriduanũ mortuum suscitauit?* Itaque verbũ Dei pro quouis eius assensu accipio, qui fideli vel precum emissione, vel sacrorum applicatione, vnica velut effectrice miraculi virtute perficitur. Nam si præterea naturalem quid salubriter cooperandi virtutem adiunxeris, iam id mixtum, non merum simplexve miraculum appelles. Cuius generis illæ quadam rerum mũdanarum sympathia & antipathia cõflatę Solomonis

Luc. 8.

Aug. de Ciu. Dei lib. 22. cap. 8.

lomonis incantationes, meo quidem iudicio non magis improbandæ, quàm quę fumo, partim extorrefacto piſcis iecore excitato, olim adiectæ fuerunt ſanctorum coniugum preces. Vtrobique enim naturalibus rebus mirabilẽ dæmones, effugandi vim adfuiſſe liquidò conſtat, piſci ſcilicet hoc ſcripturę contextu: *Interrogauit Tobias angelum, & dixit ei, Obſecro te Azaria frater vt dicas mihi, quod remedium habebunt quæ de piſce ſeruare iußiſti? & reſpondens angelus dixit ei: Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorũ, ſiue à viro, ſiue à muliere, ita vt vltra nõ accedat ad eos: & fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuit albugo, & ſanabũtur.* Tobi.6. Quibus verbis meo iudicio (niſi quid ſecus theologicæ ſcholæ videbitur) vim inferat, quiſquis cordi, iecori, & felli piſcis, tunc ſolùm ab angelo, quum hęc loqueretur, nec primitùs ac naturaliter à deo inſitã dæmones extricãdi virtutũ fuiſſe interpretabitur. Quo vrbaniùs admiſſo (ne ſedulò roganti Tobiæ ancipiti vel hyperbolico reſponſo cauillatum Raphaëlem dicamus,) minus mirandum

ſit illum Ioſephi popularem Elcazarum, conſimilem radicis à Solomone indicatę virtutē non modò aſſeruiſſe, ſed & corā edito miraculo comprobaſſe, huc potiſſimùm aſtipulante ſcriptura, cum ait, diuinitus afflatum, ac pluſquam humana ſapientia præditum Regem, *ſuper lignis à cedro quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete*, diſputauiſſe: ad hæc de iumentis, volucribus, & reptilibus diſſeruiſſe: hoc eſt, medicā omnium arborū, fruticum, herbarum, atque animalium vim edocuiſſe. Sequitur, porrò ex prædictis tolerandos eſſe eos herbarum, alioquin arcendis febribus efficacium, faſciculos, qui linteolo conſtricti ad arteriarū pulſum fuſis inſuper precibus admouentur: quas quidem catholicas non magis iſtis, & aliis quibúſque phyſicis periaptis adiungere verear, quàm medicam aliquam potionem præeunte ſigno crucis haurire. Fluuiorum verò nomina, tum alia, quę ſuperius ex Plinio retulimus, collo appenſa cùm diuo Chriſoſtomo conſtanter affirmem nullo modo ad diuinā, aut naturalē virtutem pertinere: indéque veteri-

Reg. lib. 3. cap. 4.

Chriſoſtom. homil. 8. in epi. ad Col.

veteribus theologis aniles eas ligaturas, quæ tametsi sine vllius, seu re, seu verbo extrinseci ad eius quod agitur qualitatē pertinentis accessione fiant, nihilominus mirificum aliquid operantur, pacti alicuius vel expressè vel tacitè cum dæmonibus initi suspectissimas esse. Proinde eum cui caput doleat laudandum censent, si euangelica scripta capiti suo apposuerit, aut ad crucis aliúdve Christi signum, nec vlterius ad ligaturas cucurrerit. Nā quę Christi ad Belial cōuentio? Citiùs mors, aiūt, Christiano homini subeunda, quàm vita ligaturis redimenda: quemadmodū quiuis cruciatus idololatria præoptādus. Cuius abhominandæ penitùs infixā piorum mētibus persuasionem veterator intelligens, has hucusque magicis artibus, quasi nullius, saltem minoris culpæ speciem habentibus, sed interim illius vicē implentibus, ex facili, (ceu verò iis quisque deditus, non se totum dæmoni deuoueat & immolet, nec ligaturę eo nomine iampridem animarum vincula dicantur) implicauit. Tādem igitur quo dudū nostra in varios, nec ideò temerè dilapsa, ser

Chrisost. d. homil. 8. & oratione 5. aduersus Iudæ.

Laodic. cōc. cano. 36.

mones vergit oratio, veniamus: leuissimumq; impẽdiò verbosi medici cõfutemus argumẽtũ, quo capitalia in eas maleficas, quas vulgus Insubrum striges vocat, iudicia nõ modò suggillat, verùm etiã veteribus (ceu quędam humanis in actionibus ęternitatis series vlla tẽpore vicissitudine circunscribatur) cũ suis sagarũ lamiarúmq; synonymis dissimiles facit. Il

Alc. lib. 8. parerg. cap. 22.

lud planè Alciato doctissimo quõdã pręceptori meo non diffitebor præposteram fuisse eius inquisitoris coniecturam, qua probis quibusdam viris, suas vxores secũ tunc concubuisse quum hæ nocturnas choreas agitasse dicebantur asseuerantibus fidem derogauit, vt suæ potius de dęmonibus, tanquam ipsis maritis assumpta earum forma illudentibus, suspicioni indulgeret, maximè cum ex iudicialibus actis constaret, pluribus obiecta saltatricularum, velut cum amasiis coeuntium spectra, fortè inuocato à muliercula quapiam IESV nomine statim è cõspectu abiisse: ità tamen, vt physicis caussis exquirendam eorum, quę præter naturam, fiũt veritatem, ne Æsculapio ipsi sim concessurus.

ſurus. Iuuat autem medici ridiculè iudicibus præſcribentis quid in elicēdis probationibus potiſſimùm ſequi debeant, garrulitatem hoc vno quaſi dilemmate contrahere. Aut illæ anus ſe meſſes excantaſſe, aërem turbaſſe, quídve ſimilis maleficij feciſſe, aut fieri procuraſſe confeſſæ ſunt. Si primū perire volentes, quia id ſibi vendicant, quod præſtare nequeunt, minus audiendæ. Si ſecūdum continuò tritum illud Vlpiani, quo neminē cogitationis pœnā pati ait, obſtiterit reſponſum. Sed omiſſa ingēti legum & canonum, quam huc ineptè cōgerit, ſylua, idem argumentum ſuis vtrinque aſſumptionibus præmodū claudicare ex prædictis liquet. Nam harum priori, qua magicis artibus elementa turbari poſſe negat, neque imperatoriæ neque pontificię leges ſuffragantur: poſteriori autem, qua imaginarias illas Dianæ comites ſua ſibi inſomnia corpore eueniſſe credētes, nullis idcirco criminationibus implicandas, quin venia & commiſeratione dignas eſſe cōtendit, Ancyrenſe, quo in primis nititur, cōcilium vſque adeò refragatur, vt

de præ. dæ. in Anacephal.

l. cogitationis. D. de pœn.

d. Anacep.

C. de Malef mathem. li. 6. can. nec mirum. 26 q. 5.

can. Epiſcopo. 26. q. 5.

eodẽ ſceleratæ, déque medio (quòd multos ſecum ad infidelitatis interitum perduxerint, & à legitimo Dei cultu abduxerint) tollẽdæ cẽſeantur. Enimuerò quod maximi flagitij loco obiicitur, eaſdẽ abnegato vero numine ſuam diabolo fidẽ obſtrinxiſſe, cúmque eo nefariè contraxiſſe, ſic diluit medicus, vt eiuſmodi pactionem, tum quibuſcum nititur perſonarum, tum earum, de quibus agitur, rerum reſpectu, tum denique ipſa huius ineundę forma nullam eſſe affirmet. Quod vt egregio illi ſophiſtæ cõcedamus, núm ideo qui perperam contraxit, eo, quod ſolo conſenſu perficitur, delicto (quale ſola itidem confeſſione nemo, niſi valde impudens, inficiabitur) abſoluendus eſt? Atenim iuris noſtri, hac in parte theorema ex doctore phyſico mutuemur. Hîc primùm non auguſtalibus, ſed ſuis quibuſdam verbis recitato Cõſtantij reſcripto, quò diſertè ij ſupremo ſupplicio addicũtur, *qui magicis artibus elementa turbare, vitas inſontium labefactare non dubitant, accitos quoque manes ventilare auderit, quò ſuos quiſque malis artibus conficiat*

d. Anacep.

l. multi C. de Malef. & Math.

ficiat

ficiat inimicos, cùm illud ad huius sæculi lamias, vt potè magicarum artiũ expertes pertinere negasset (quasi verò ab eo tempore quo samuel propheta, vt dixi, excitatus, vel Pythonicus spiritus ex ancillæ corpote Paulo iubente exactus est, versæ rerũ vices fuissent.) *Si quæ sunt*, inquit, *quæ vitæ hominum insidiantur, eique vim faciunt: veneno id fieri oportet, proinde etiam veneficæ tales dicuntur & sunt: eæ ex hoc edicto puniantur.* Sic argutulus iste cũ ipso aut elementa turbandi, aut manes acciendi, quidve similis maleficij patrandi conamine, ad hoc vt quis in illud rescriptum committat, insuper aconiti, philtri, alteriúsve medicati poculi haustum exigit: tametsi canonizato (vt Scolasticè loquar) hoc Lucani versu.

L. multi C. de Melef. & Matth.

Act. 16.

Lib. 5. de præstig. dæmo. cap. 3.

D. Can. nec nimirum.

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit, sola carminis violentia perimi intelligantur. Itaque Mosis legem in totum maleficas exterminantem, minimè cum Vuiero ad veneficia cõtrahi. quin cum eo potius, quem ipsemet, velut Hebraicarum literarũ scientissimum laudat, Masio, ad infamem quanlibet

Phars. li. 6.

Exod. 22.

de præst. dæm. lib. 2. cap. 1.

magiam porrigi censuerim , nec idcirco hanc iudicibus adeò præfractè ac mordicus arripiendam, vt si qua cuiusque generis sagarum lamiarúmve præstigiis delusa nomen suum dæmonio dedisse, postea, re integra, hoc est, nullo damno dato antequam capitis accerseretur, resipuisse comperiatur, non huic pro rerum, locorum, ac temporum circunstantiis affectatum scelus vel in parte condonent, vel prorsus ignoscant. Cæterùm eo consummato, quî, lege, præsertim diuina, clementiores esse possimus, nõ video. Nam quos ille de non interficiendis hæreticis adfert Augustini locos, hactenus vt suis quoque lamiis, tanquam horum culpæ affinibus, quiduis citra homicidium impunè liceat, ità catus quisque lector interpretabitur, vt in illos, quoad spes conuersionis erit, non animaduertatur. Alioquin idem Augustinus nõ semel de Circuncellionibus (qui olim per Africam, eo modo quo ante triennium proximum Caluiniani per Galliam nostram summo bonorum omnium dolore grassati sunt) loquens, ad Regum curam pertînere ait,

Aug. epist. 127. 158. 159. 160.

vt

vt aduersus plantatam ab apostolis ecclesiam rebellantes summa gladij potestate, sibi à Deo in hoc potissimùm tradita, coerceantur. In quo quidem mihi commẽtãdi liberior pateat excursus, si id tam ad diuinorum miraculorum, quorum partim historiam hoc libro complexus sum, substructionem, quàm nostra de magicis illis assertio, facere videretur. Hac enim repudiata tantundem diuinæ omnipotẽtiæ, nimirùm dæmonibus (prout dictum est) habenas immittenti, detraxeris. Nec me mea sublectis aliquot præstigiosi huius operis capitibus, diu frustrata est opinio, statim eo cõsequente quo sic ab isto, nequaquã meteorosophista, Christi corpus loco circunscribitur, vt id eodẽ tempore diuersis in locis existere posse, ac quantumuis hypostatico ipsi penetrabiles eius, qua se præ metu Apostoli concluserant, cellæ ianuas fuisse neget: ità veteres, nullo interim authore citato, sensisse affirmans. Sed quàm verè mox ostẽsuri sunt duo doctrina & pietate insignes theologi Vigorius, Sanctiúsq;. Nuper enim claustrariã illius domũ adiens,

Aug. lib. 1. contra epist. Parmenia. cap. 7. & aliis locis.

Cap. 3. lib. 1 de præst. dæm.

ambos quodammodo prelis incumbentes, hoc eſt, ægrè ab his ſuſceptam cum totidem Satanæ miniſtris diſputationem librariis ſuppeditantes offendi. qua procul dubio ad euincendam corporis Christi in euchariſta præſentiam plus ſtudioſo cuique, quàm iis ipſis quorum gratia cũ nebulonibus illis in arenam deſcenderunt, fructus acceſſerit. Nam quis adultero hæreticorũ (vt Tertuliani verbis vtar) ſenſu obſtrepẽte, veritati locum fore vnquam ſperauerit? maximè apud imperitos, quorum multo difficilius ſit quẽ ſemel imbiberunt errorem euellere, quàm de manu Herculis clauam, quod dicitur, extorquere. Quicquid enim iis bona fide dixeris, id aliorſum accipiunt, ſibíque adeo imponi arbitrantur, ſic vt propter ſummam ignorationem neque in rem conſulere, neque recta cõſulentibus auſcultare valeant. Mitto doctiores æquo mulierculas, quibuſcum (vt Terentianũ illud vſurpem) nihilo plus agas, quàm ſi des operam vt cum ratione inſanias. Verùm iis omiſſis quibus fortaſſe in longiorem, quàm ſcribendi ratio expoſcat, ſermonem

de præſcrip. hær.

monem proueherer, iam huius narrationis reliqua animaduersione digna strictim percurram. Et in primis quo vetustatis exemplo hic Bursius Episcopus, aliique passim inferioris ordinis clerici, exorcistę munere defungentes, immundis spiritib⁹ suæ ex obsesso corpore abitionis signa edere iubeāt, exquirēti alicui replicanda sunt Iosephi de dęmonio per radicis olfactū exacto, verba hæc, *Deinde volēs Eleazarus his, qui aderant ostendere suæ artis efficaciam, non longe inde ponebat poculum aut polubrū aqua plenum, imperabátque dæmonio hominem exeunti, vt his subuersis signum daret spectantibus, quod reliquisset hominem: quo facto nemini dubium erat, quanta fuisset Solomonis scientia & sapientia.* Illud sanè, quod historica serie proximum est, Nicolę spectrum, quippe asserentis dæmonem inter torpores sibi visum pectori grauiter incumbere, aureos numos trutina appēdere, hósque si in sua, verba iuraret, polliceri, ne Vuierus ipse cum suo illo præceptore vanitatis insimulauerit: deinde quis simplici mulierculæ subiecisset hunc pro studio genióque suo cum falsa ludicráve

Antiq. Iudaic. lib. 6. cap. 2.

De præst. dæm. lib. 1. cap. 4.

Agrip. de occul. phil. lib. 3. cap. 15.

opum oſtentatione ac promiſſione omnibus retia tendere ſolitũ, quibus vt plurimum muſcam, id eſt, infirmum (vnde illi quaſi muſcæ domino inditum Beelzebul nomen) intercipiat? Quinetiam in vetuſtis Diis, hoc eſt, dæmoniorum principibus, is vnus eſſe perhibetur, qui Chriſtum cunctis mundi regnis de ſublimi oſtenſis adoriri ſit auſus his verbis, *Hæc tibi omnia dabo, ſi procidens adoraueris me.* quãquam euangeliſtæ eundem Satanæ nomine deſignent, forſitan quatenus id omnibus ſpiritibus commune eſt, qui nobis vtique noxij aduerſantur: cęteroquin eodem per antonomaſiam vel exochen Luciferum ſignificari ferè indicat, prænarrata huius ex Apocalypſis loco exceptiò, qua Epiſcopo inter mixtas imprecationibus adiurationes iubenti vt cum Satana in profundum abiret, minimè cum illo, qui iamdiu ab angelo alligatus eſſet, ſuæ damnationis diem veniſſe teſtatus eſt. Huius porrò dæmonis momentaneos è muliebris corpore abſceſſus quales paſſim in hiſtoria referuntur minus mirabiles fecerit id, quod de Hermotino Clazomenio

Matt. 4. & Mar. 1.

Apoc. 20.

zomenio ſcripſit, Plinius, illius *animam relicto corpore errare ſolitam, vagámque è longinquo multa annuntiare, quæ niſi à præſente noſci poſſent, corpore interim ſemianimi: donec, cremato eo inimici (qui Cantaridæ vocabantur) remeanti animæ velut vaginam ademerint. Semianimi*, inquit, non exanimi, vt his Plinij verbis intelligamus, Hermotini corpus à quodam maligno ſpiritu, quem figuratè animam appellat, occupatum, ac tantiſper, dum illud ſpatiandi cauſſa relinqueret, ſopitũ, pari odio, quo Caluiniani in energumenã, quòd in eorũ mores deſpueret, grauiùs, ſi licuiſſet conſulturi, exarſere, à Cantaridis crematum fuiſſe. Cuiuſmodi ſtratagemate Mameiacum Chalnienſem miniſtrum vſum fuiſſe idẽ Beelzebul retulit: nempe nouo exorcizãdi modo miſeri homunculi, quod ingreſſus eſſet ipſe, corpus ſacco incluſiſſe, Iſaræ'que fluuio ſaxis aggrauantibus ſubmerſiſſe. Sed neque veteri caret exemplo quod ſupra obitérque dixi Nicolam in diuturna eſuritione, quæ illi propter crebras ad quãlibet cibi potúſque ſumptionem ſyncopas contigit, nihilomagis gra-

Plni. lib. 7. cap. 52.

cileſcere viſam: cum Arabam iuenculã ſeptuaginta dierum inediam pari corporis habitu ſuſtinuiſſe in eodem Aquitanico legamus. Atqui alterũ medicũ primo illo apud Laudunum experimento additum Euæ comitem, famoſo libello, quem Spongiæ titulo conſcriptum nuper admodum, quippe ſecundo nonas Martij huius menſis nactus ſum, in tanti miraculi iactatores ſtomachatũ fuiſſe eò magis miror, quòd ſe Nicolam inter couulſiones exerta quidem lingua, ſed patrio duntaxat ſermone loquentem audiuiſſe vltro fateatur. Quanquam quis iſtum patentis omnibus templi aditu prohibuit, quo minus tot adiurationibus intereſſet, háncque Hebraicis, Græcis, & Latinis verbis ex earum formula conceptis Epiſcopo præeuntem videret? Iam verò ab iſto phyſiologo ſcire velim, núm per rerũ naturam quanque cuique dictionem extra dentium clauſtra articulatim pronũtiare liceat? Quid igitur euidentis adeò miraculi conſcius ſummonitorum, quaſi comicæ actrici proloquenda ſubiicientiũ, meminit, ceu is craſſioris (vt ita dicã) mineruæ

Lib. de promiß. Dei.

Anno 1557

mineruę fucus circundato tot hæretico-
rum emiſſariis theatro obtegi potuerit?
Quî autem furens ipſa, aut ſimulando
furori, vt is velle videtur, plus ſatis occu-
pata, ſubmiſſe ſuggeſtas, magno itaq; cir-
cunſtrepentium tumultu obrutas voces
exaudiuiſſet? Nùm duo pluréſve in pro-
ſcenio ſtantes, quorũlibet hominum no-
mina & prænomina ſcire, nedum in Ni-
colæ aures immittere potuiſſent? Ad hũc
verò ſpongiarium libellum, rectè & pe-
ritè ſuppreſſo authoris nomine editum
(quòd vix illo quid inconditius inſulſiúſ-
ve in doctorũ oculos incurriſſet) acta pri-
die idus Maij nouiſſimè elapſi ligneo ad Anno
ſtramineum vico fabula toto medicinæ 1566.
theatro explodenda, elleboróque pur-
gandus, quiſquis ille candidatus, qui ad
eleuandam tanti miraculi (cum primùm
hac in vrbe promulgatum eſt) fidem, vel
ἀναλφαβήτȣς melancholicos πολυγλώσ-
σους fieri poſſe contendit: perinde acſi
vlla eſſet in verbis, vt in rebus, & a-
ctionibus, vis reminiſcendi. Iſtarum
nanque communis, naturalis, omniúm-
que hominũ mentibus ingenita eſt quæ-

lib. de natu. Deor. & lib. 1. de Diuina.

dã notio. *Quæ enim gens*, inquit Cicero, *aut quod hominũ genus quod nõ habeat ſine doctrina anticipationem quandã, quã appellat* πρόληψιν *Epicurus, id eſt, anteceptam animo quandam rei informationem?* Verborum autem quæ cuiuſque gentis vel patrio vſu inſtitutóque, vel (vt veriùs ac theologicè loquar) diuina populorum in quaſcunque orbis regiones diſperſione, propria ſunt, nulla peregrino, niſi adhibita extrinſecus arte, perceptio. Merito itaque Fernelius nobiliſſimum illum iuuenem ſolo eò indicio à dæmone poſſeſſum eſſe iudicauit quod Græcæ voces, ipſius, qui eas nunquam didicerat, ore proferrẽtur, nequaquam vir doctiſſimus, id, ſi in naturalibus morbis vſuuenire intellexiſſet, ſcripto mandaturus. Sanè nolim quiſquam putet me alio quàm veritatis ſtudio in Vuierum velut hanc nuncupata (vt ita dicam) voluntate impugnãtem, multo verò minus in medicorum, vel ipſo ſcripturæ teſtimonio honorandum, ordinem acriùs inuectum. Quinetiam quoruncunque Caluinianorũ, qui nil in catholica dogmata ſcriptionis edidiſſent, nominibus (fortaſſe

d. cap. 16. lib. 2. de Abd. rer. cau.

Eccleſ. 38.

(fortasse præter huius instituti decorum, sed ne eorum animos à resipiscētia prorsus auerterem) abstinui. Et quidem minore obtētu Origenes medicos sui temporis os in cælum posuisse ait, quòd astra bonorum & malorum caussas efficientes esse affirmarent: tum periodicas Lunatici pueri, qui à Christo sanatus est, accessiones, naturali morbo, nec potiùs immundo spiritui, quò magis falleret Lunæ schismata obseruanti, ascriberent. Tolerabilius enim fuit ethnicis illis quàm istis se christiano titulo venditantibus euangelicum eum locum prorsus ad naturam retulisse. Atque is vnus maximè piorum mentibus obiectam, propterea quòd Nicola à dæmonio liberata, aliquanto post in pristina deliquia recidit, nubem discutiat. Nam quemadmodum ab exeunte spiritu surdo, mutóque puer ille diuexatus est, ac mortui instar relictus, donec humi procumbentem omnipotentis Domini dextra surrigeret, vel propter patris eius de tanti medici potestate diffidentiam, his expressam verbis, *Sed si quid potes adiuua nos misertus nostri*, vel inuete-

Orig. homi. 4. in Matt. cap. 17.

Matt. 17. & Mar. 9.

ratam ſpectaculo accurrentis Iudæorum turbæ incredulitatem, cui ſanandæ potiſſimùm, præter Christo ſolitum in aliis miraculis morem, aliquandiu dilata eſt integra pueri curatio. Similiter quantò nunc maior omnibus retro ſeculis hominum perfidia, tantò ſeriùs protracta eſt perfecta abſolutáque poſt depulſum ab ea diabolum ſanatio: planè cornicum oculos ipſo configente, qui nos ſua cunctatione ad reſipiſcentiam quotidie inuitans, interim huius mundi ſapientibus, ilicet nil, extra quàm quod corporeis ſenſibus ſubiicitur, aſſentientibus, ſuam in euchariſtia præſentiam ſignis euidentibus, quippe à recidiuis torporibus toties excitata (vti narratum eſt) muliercula demõſtrauit. Cui cùm, ſimul atque Farram attigiſſet, iudex impius ſalutaris cibi vſu interdixiſſet, nullum ipſa inde prębuit aduerſariis argumentũ Burſio impoſturam obiiciendi: quinimò iſti, rei propalàm geſtę certiores facti, celebri Philonis dicto potiùs acquieſcere debuerunt, ac ſecundũ id cogitare, vbi ſubtracto vnico, quo ſopita exurgeret, remedio

Ioſph. de antiq. Iud. lib. 16. cap. 10.

dio humanum denegaretur, cõtinuò diuinum pauperculæ affuturum. Sed nihil horum intelligẽtes, perſpicuum Dei miraculum, velut commentitium Condeo principi aſcripſere. Vſque adeò ſeriis in rebus iocoſi, vt peculiari ſibi miraculo pſittacos impia verba conantes regiis cęnaculis obtruderent. Quàm verò impudẽter Chriſtianiſſimum Regem, hoc eucharisticæ de dæmonibus victoriæ nuntio, tanquam lepido, geſtientem, per ſuos æquò plures in aula interpretes aggreſſi ſunt, quò multis & oculatis teſtibus inductam perſuaſionem, confictis de more mẽdaciis reuellerent! In quo quidem ſic operam luſere ſuam, vt is contrà, Paulini hîc templi, aliarúmque inſignium Baſilicarũ charta impreſſam rei ſtupendę imaginem valuis affigi præciperet, ac pòſt paulò Laudunum adiens cum auguſtiſſima matre Regina, aliíſque principibus de eo certior vno omnium huius vrbis optimatum ore factus ad illuſtriſſimi, doctiſſimíq; principis Cardinalis Lotaringi vicinas (quò ſe inde reciperet) Marcheſias Nicolam eiúſque maritum acciri cu-

raret. Qui illuc cõtinuò profecti, ità rem Vreuini, Laudunique gestam percontãti Regi enarrarũt, vt sua simplicitate fidem dictis fecerint maximam: ab eóque comiter, nec sine munere domum sint remissi. Sed quid ista tibi præsertim in aula degenti, Amyote prestantissimè renarro? núm vt captata assentãdi occasione egregiæ in principe nostro pietatis laudatorẽ agam? Scilicet apud te, qui instituendæ eius pueritiæ præfectus, ac velut alter Aristoteles Alexandro præceptor datus es! Tametsi non dissimulandam arbitror raram tãti tui discipuli, nondũ plena pubertate hucusque fallacibus Sirenũ cãtibus, obsurdescẽtis, cõstantiam. Quam vt partim eius institutioni, partim eleganti nature, leteq; adeò indoli tribuamus, maximè tamẽ desuper collate Francis Regibus sanctitati rear accepto ferendã. Certè enim hanc cõspicuo, ac frequentia penè vilescenti miraculo confirmatam potissimùm ab eo tẽpore nosse potuisti quo per te quadã muneris Eleemosynarij prerogatiua strumosis, nulliúsdũ medici manum expertis, ad Regem ferè quibusque
festis

festis & solēnibus diebus, salutaris est accessus. Regem, inquam, se illos tangere, Deum verò sanare, non minus ingenua, quàm pia & efficaci voce profitētē. Eludāt impij illud, vel ab omniū oculos positum: rati scilicet Hispanos, vt plurimùm eo morbo laborantes, nullo popularium suorum experimēto gregatim Pyrenem, quò regia dextra tangantur, transcendere solitos. Quod ipsum de acutissima natione aliorum potiùs, qui crasso sub aëre nati sunt, esto iudicium. Equidē Francisci primi principatu me aliquando Luparæ adfuisse recordor, quū Ludouicus Burgensis, medicorū sui temporis, vt titulo, ità peritia longo artis vsu subacta facilè princeps, multorum qui vndique eò conuenerāt, glandes, scrophulas, alióssve tumores digitis subigens attrectaret, horúmque maximā partem, paucis, quos non eo morbo affectos cognouerat, reiectis, in hoc seligeret, vt peracto sacro Regi solita cæremonia contingendi sisterentur: tum veró quendam nitida cute coram prodiisse, seníque quisnam esset ignorāti plurimam egisse gratiam, quòd paulò antè sibi purulentis liuoribus de-

formi, consimilem præstitisset operam. Nec sic comprobatæ in regia persona sanctitati forsitan sua, alioqui priuatis hominibus communiter accidens, obstiterit vitiositas: cum eadem in sacrilego Caiapha redũdans, ne vim quidem propheticam pontificiæ dignitati abstulerit. His accedat sacrum chrisma, quo, qui nunc rerum potitur Carolus, more maiorum Rhemis inunctus est: nimirùm in simpulo illo perenniter residens, quod tum cælo demissum fuisse perhibent, quum diuus Remigius Clodoueum primum religionis apud Francos authorem per regenerationis lauacrum Christo inseruit. Scio nonnullos ista velut anilia deliramenta respuere, at iuxtà scio eosdem Hellenismo magis quàm Christianismo deditos esse. Mihi quidem tredecimum circiter annum illîc triumuirum consuetudinariũ cum duobus collegis viris clarissimis agenti, fortè contigit, qua illud conflatum materia, quáque laboratum esset forma, intentis oculis contemplari. Atqui neque gemmeum propter sesquidigitalem longitudinem ratus sum, quã-
uis

uis enormes berillos ſmaragdósve Plinius recenſeat, neque ingenioſi quamlibet artificis induſtria fabrefactum: nam tenuius eſt, quàm vt abſque inſigni fractura in cucurbitulæ modum excauari potuerit. Cæterùm quiuis anaglyptes in eo exteriùs, vt eſt, lęuigando magnum fecerit operæ pretium. Igneum lapidem quidam ex circũſtantibus eſſe aiebat, talem opinor, qualem cælo cecidiſſe Anaxagora prædicente, ferunt. Sed is aduſti coloris ab eodem Plinio deſcribitur: ſimpulo illo inter cumatilem & flauum, ni fallor, rutilante: nec (quod præter naturę ordinem nemo niſi rerum rudis & imperitus negauerit) vlla vetuſtate pallorem ſitúmve contrahente, cùm interim duriſſimus adamas cariem tempore recipiat, & vt alia, quanuis ardens, gemma hebeteſcat: facilè verò eius ore paulùm repãdo vaſculi fundum introrsùs cernas, rubro ac ſuaue olenti vnguine conſperſum vuidúmque. Quod Frãciæ (vt ita dicam) Palladium ſemęl è Remigiano cœnobio quaſi ex æde Veſtę amotum, ac in Turonenſe ad minimos fratres ſuburbanũ ali-

lib.37. cap. 5.

lib.2. cap. 58.

quanto ſerius, nempe Ludouico vndecimo animam efflante allatum, regióque illîc abaco impoſitum fuiſſe Cominiùs inter noſtros Gallicè ſcribentes non incelebris hiſtoriographus, refert. Nempe Regem illum tantam in ſancta (vt Gallicolatinè loquar) ampulla fiduciam concepiſſe, vt vel à medicis deploratꝰ ſe ſolo ſacri in hac olei retinctu (cuius vtique periculum ſi tempora tuliſſent facturus erat) conualiturum ſperaret. Quinetiam in diuorum numerum relatus Rex nonus, huius itidem noni (quod fælix fauſtúmque ſit) atauo Ludouico Aureliarũ duci tritanus, ſanctiorem eam quæ Clodouei veſtigiis inſiſteret, inunctionem ratus, controuerſiam de Rege vbiuis ſacrando Craſſi eius abaui ſimultate, verùm ſub obtentu ſedis Rhemorum, velut intruſo Rodulpho vacantis, motam Sueſſionum Epiſcopo vicariam illîc operam præſtante diremit. Sanè ſeptimi Regis conſecrationem Ioanna Lotaringica (quam ſolutis longa obſidione Aureliis Aurelianenſem puellam vulgò vocant) quanuis vndique inſeſſo ab Anglis

itinere,

itinere nihilominus maturandã censuit. quòd hæc vna maximè Francorum animos ad veri legitimíque principis respectum inclinatura videretur. Nemo arbitror perfrictæ adeo frontis est, vt rem auorum nostrorum memoria gestam, tótque annalibus contestatam inficietur: vt fortasse in eo factam imposturã, qualis in Regis Numæ Ægeria nympha, vel in cãdida Sertorij cerua insistat. Multo rectius quisque posthabitis ethnicorũ exemplis egregium puellæ duodeuicesimũ annum agẽtis facinus cum Gedeonis alio planè virili comparet. Ambobus cœlestis nuntius pro liberanda hostibus patria non in vanum missus est. Huic Manasseę tribus infimo, paternæque domus minimo, frumentum ventilanti angelus sub quercu sedens: illi simplicissimæ virgini sub arbore secus oues, quas sub patre pascebat, considenti augustior humana eius, quę se Deiparam virginem vltro profiteretur, species apparuit. Sed vt Verto dunensi chronographo desit ea quę sacris libris meritò tribuitur authoritas, nihilosecius verum esse quod is scripsit, du-

Liuius lib. 1. ab vrbe con. Plutar. in Numa & sertoris.

Iud. 6.

Ricardvuassiburg. Prologo. Belgic. antiq. cap. 2.

cta ex his, quæ deinde secuta sunt, arguit verisimilitudo. Scilicet Baldricurtius eques rusticæ, timidæque puellæ, aut animos ad sustinendum verendi per se principis conspectum, aut verba ad hũc scitè & cõfidenter aggrediẽdũ, addidisset, aut denique simplicẽ dolíque expertẽ ad imposturam cuique veteratori factu difficilimam instruere ac subornare potuisset? Scilicet absque afflatu numinis ipsa Regem sibi nunquam antea visum, tum data opera inter purpuratos suos humili prę illis vestitu, locóque subobscuro promiscuè stantem, nullo commõstrante rectà adiisset, ac primo colloquio ità in suã sententiam pellexisset, vt eam, quanuis specie exemplóque periculosam, postea ferè semper fuerit secutus? Quamobrem iam vt hîc omnia propositæ comparationi respondeant, quemadmodũ angelus, quò nuntij sui fidem Gedeoni faceret, solo virgę, quam tenebat, tactu ignẽ petræ, velut altari, appositum holocautoma statim absumentem, excitauit, sic, quod nonnunquam familiaribus suís idẽ Septimus illam credulitatẽ caussatus retulisse

tulisse fertur, per virginis matris interpretem Ioannam, eius facti, cuius solus ipse conscius esset, indicio ad ea, quæ vel agrestis, nec vltra pecuariam edocta consuleret, exequēda confirmatus est. Se nanque, cum aliquando, cubiculariis suis nocte profunda stertentibus, in grauissima attriti vbique regni cogitatione defigeretur, nudum pedibus cum indusio extrema sponda in terram prosiluisse aiebat, túmq; flexis genibus. simul sublatis in altum manibus θεοτόκον orasse, vt si spurius, quippe matris adulterio supposit⁹ Sexto Regi filius, qualis ab anglis iactabatur, esset, sibi tutum vitæ alicubi transigendæ cum honesto commeatu receptum à filio impetraret: sin legitimus regni hęres esset, eam à se contumeliam exactis Gallia hostibus propelleret. Eadem porrò interprete Christum suis præcibus annuisse, non modò nuntiatum, sed & ipso effectu comprobatum fuisse identidem filio & matri gratulabūdus commemorabat. Non me latet quibusdam prosperos rerū bellicarum successus ab indigno cuiusque obitu in fortuitorum, citra diuini-

tatem aliquam, numero censeri: cuiusmodi præiudicio cuilibet in procliui est Samsonis, Machabeorum, & aliorũ quorumlibet ducum, qui in ipso victorię cursu intercepti fœdè occubuerunt, egregia queque facinora verbis obterere, tũ debitam (quo nihil iniustiùs est) exercituum Domino laudem detrahere: quam etiam spõte sua ne modícus quidem teterrimi supplicij in eam, quę vel qualibet hebdomada tridui ieiunio macerabatur, & singulis dominicis diebus eucharistiam per cipiebat, expresserit obtentus. Quî enim alienum mẽtita sexum videri potuit, quæ se palam qualis esset profitebatur? quæ interdiu virginitatis tuendæ gratia virilem in modum pro suscepti muneris necessitate inter milites armata incedebat, noctu verò seorsim ab illis gynæceo inclusa dormiebat? Nihilominus cum hæc, vt obsesso ab Anglis Compendio opem ferret, in illud opidum irrupisset, ac paulò pòst eruptione facta in potestatem hostiũ venisset, Rotomagum ducta, iniquissimo Bellouacensis Episcopi iudicio igne cremata est. Quam crudelitatem diuina nõ

multo

multo pòſt vltio momento fuſis, totáque continenti, præter Itium portũ, huícque circuniectos Caletes, exturbatis perduellibus cõſecuta eſt. Enimuero cum Augustino cenſuerim omnibus licere audacter & ſine iuſta reprehenſione non credere eorum ſcriptis qui ſingulariter de re quapiam mirabili tractantes, neque diuinitùs docti ſunt, neque non humanitùs falli potuerunt: modò ne ſuam oculatis teſtibus, quorum plures hæc hiſtoria publicis inſuper actis cõfirmata, facilè protulerit, fidem vel humani ingenij captũ excedentem faſtidioſè derogent. maximè quorum mirabiliũ vnuſquiſque corporeis ſenſibus actúque ipſo experientiã fecerit, ſummam, quòd ille ait, *in creatoris omipotentia ſtatuat credendi rationem*: nec magis miretur diuina virtute è Rhemenſi ſimpulo iugiter oleum ſacrandis Regibus noſtris emitti, quàm magica arte ſubdialem lucernam nullis procellis & imbribus extinguibilem veneris fano diutiùs præluxiſſe. Neque enim in quorumlibet naturæ mirabilium ignoratione ſitũ eſt, quominus cocta pauonis ca-

lib. 21. de. ciu. Dei cap 7.

d. cap. 7.

d. lib. 22. cap. 6.

ro, aut carbones ad terminalium lapidũ basim, alitér ve humo conditi putreſcãt, calx ſuffuſa aqua ferueat, illita oleo frigeſcat, magnes ferrum attrahat, ac liberali cauſſa, vt ita dicam, aſſerat. Complurium id genus mirabilium (vt cum Plinio loquar) *non vlla in parte ratio, ſed voluntas naturæ quærenda*. Quò mihi duriſſimos illius in re diuina potiſſimùm exactores rectiſſimè inſectari videtur Auguſtinus: in quo citando ſanè eò crebrior fui, quòd huius authoritatem iſti, neſcio quo doctrinæ ſuæ fulciendæ cõpendio freti, mirificè amplectantur, ea demum philoſophica, ne dicam impia & ethnica diſquiſitione æternam ſibi mortem conſcituri. Quid enim euangelico titulo, quem ſtolidè & arrogãter aſſumũt, magis contrarium peruicaci horum, quæ quotidie oculis cernuntur, manibus palpantur, alióve ſenſu percipiuntur incredulitate? quam ſaltem reſipiſcendo, ſuæque ſaluti proſpiciendo, vetus ac peruulgatum diuę Brigittę vaticinium reuoluentes, exuerent. Hoc ſiquidem longè antea prædictum eſt puero, liliato in ſolio ſedẽte, Petri

lib. 37. cap. 4.

tri

tri cymbam maximè fluctuaturam, neque tamẽ vsque turbinibus vt profundo submergatur, abripiendam. Iam verò sua nuper facinora, ad fidem huic Carolo eò magis debitam, quòd decennis modò tantum iniuerit principatum, conferentes, illud ad se omnino pertinere ij intelligãt, qui regię dignitatis contemptu sese audaciùs efferendo nequicquam res turbare conati, ad immobilem petram, ilicet hæreticorum insultibus obnoxiam, quò catholica fides non otio torpescat, sed, vt idem Augustinus ait, multis exercitationibus elimetur, cum ingenti piaculo alliserunt. Etenim multo ante præscitum Regem in eam partèm accipio, qua is per ætatem maximo non modò sui huius regni, sed & totius reipublicæ Christianæ detrimento, istorum iniuriæ opportunus fuit. Verùm eodẽ indies maturescente, cùmque magnanimo fratre, qui eius ætati propior gradu succrescit, Henrico, in longè optimo catholicæ religionis tuendæ proposito perstãte, mox illud, quo tandiu premimur, interregnũ dissolutum iri cõfido: denique hunc ma-

Feria. 2. ad quartam quadragesima dominicam Ser. 1.

iorum ſuorum veſtigia in eo præcipuè preſſurum, quod quibuſque ad religionẽ ſpectantibus Romanorum pontificum decretis, non ſecùs ac Dei ipſius præceptis illi paruerunt: iam inde lætum Agathiæ augurium in ſe accipientes, quo is ſtabile atque diuturnum Francis Regibus fore imperium, ex quo Clodoueus, eiúſque liberi rectũ Chriſtianorum dogma, quale Romani imbibiſſent, non ſine re portendit: cum ab Iuſtinianeo, ſub quo idem Grecus hiſtoriographus vixit, principatu mille & eo amplius anni fluxerint.

Agath. lib 1. de bello Goth.

FINIS.

ALEXICACVS.

DE ALEXICACO authoris carmen.

Corporeis subiecta oculis miracula sunto
Iam primo discussa libro. modò disserat vnum
Noster Alexicacus reliquis præstantius, in quo
Vertitur humanæ totius cardo salutis:
Mentibus vsque piis infixum, vt corpus adesse
Præcipuo Vtopicum sacro credatur, & ipsum
Esse, quod ante quidem passum veneramur: abesse id
Quanuis externo sensu res ipsa loquatur.
Ergò patrum veterum multos, quos pluribus isti,
Semper vt immodici verbis, ità rebus egentes,
Distorsere locos ad recta reducat: & hydræ
Tot capita abscisso secet insurgentia trunco.

Bartholomæi Faij ad Reuerendum in Christo patrẽ D. CAROLVM ANGENEVM. Cænomanensem Episcopum.

Hic nunc S.R.E. Cardinalis à Rãbollieto vulgò nũcupatus.

ALEXICACVS.

QVI coniungendis nobis vnus & idem de religione sensus, quauis necessitudine potior est, sicuti tu te ipse quadam ad me epistola dudum Prætulisti, clarissime Præsul, fecit vt Energumenici, quem tibi, paulò antè quàm Romã legatus ires, legendum præbueram, toto ferè biennio suppressi inuidiam, quasi fœnebri huius Alexicaci accessione dissol-

uerem: ab eóque sermone exordium sumerem, in quem iamdiu, ac tum fortasse incidimus, quum tuorum aliquot coepiscoporũ de me collegísque meis querelã referres: non ità sanè, vt Senatusconsultum ij nostrum, quo quisque intra certum diem Lutetia excedere, séque in suã diœcesim recipere iubebatur, iniquitatis arguerent: tantùm huic additam commi nationem, qualis quidem meretricibus conductitia domo exigendis fieri solet, ecclesiastici cuiusdam cõtemptus postularent. Me verò contra sic excepisse meministi, illinc vt temerè quicquam actũ fuisse negarem, cum Damasus Papa sui temporis Episcopos, commissi sibi gregis curam chorepiscopis mandantes, meretricibus similes fecisset, *quæ statim vt pariunt*, inquit, *infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos, quò citius libidinem suam explere valeat*. Ac profectò ista ingenuè, eóque libentiùs à me dicebantur, quòd illã iussionem nihil ad te pertinere intelligebam: tanto tunc pastoralis muneris fungẽdi desiderio flagrabas, in eámque properandi ciuitatem cuius prodominatus

Damasus. epist. decretali. 1.

Ange

Angeneæ familiæ veſtræ hæreditarius, etſi Rambollietico titulo poſtpoſitus extitiſſet. Neque non plauſibilem te huic prouinciæ fore exiſtimabã, quę non contenta hac tui generis claritate, quam ab gratioſiſſimis & intimis auorum tuorum erga Carolos Quintum, Sextũ, & Septimum Reges miniſteriis certiſſimam accepiſti, altiùs eãdem ab hoc ſeu vero ſeu commentitio fortiſſimi illius Rolandi, vtique limitis Britannici ſub Carolo magno cuſtodis, commilitone Oliuario Angeneo repetat. Cùm igitur te tua magis ſponte quàm aliquo meo impulſu illuc contuliſſes, quis eorum nomine, quæ tibi longe grauiſſima ſubinde cõtigerunt, culpam in me cẽſeat conferendã? Quis, vnde ingẽs prouincialium, nempe egregiis ſacrifici, tum eccleſiaſtę functionibus captari conſueuit fauor, indidem te capitale odium, maximè eorum qui ignauæ operæ clerum perpetuò inſimulant, contracturum ſperauiſſet? Atqui ſpecioſis iſtius modi criticorum, planè euerſam nõ conuerſam eccleſiam cupientium, vocibus aures noſtræ iampridẽ occalluerunt. *Enguinar. in vita Carol. magni.*

Quanquam (ne interim ab his egrediar quæ memoria mea acciderunt) magna olim Pontificum nostrorum, penè à summo vsque ad minimum, in commisso sibi grege curando socordia, illustrem Senatusconsulti illius caussam reddiderit. Nã quotus quisque horũ suo in munere defungendo non mercenariis vsus est? Per hos igitur nihil, aut parũ de alienis ouibus curantes, facilis luporum, præsertim summotis apostolicis canibus, ad eas fuit accessus. Qui si nunc superessent, huiúsque regni quondam florentissimi nõ vnã modo prouinciam, sed & cæterarum singulas, propè dixerim, glebas intestini belli calamitatibus attritas cernerẽt, nequiter à se desertum, proditúmque lupis gregem dominicum frustra quererentur. Quandoquidem paruo horum negotio scintilla illa, quæ magnum postea excitauit incendium, restingui potuisset. Quod nec illepida comparatione tuus ille Vindocinensis elegantibus, licet Gallico sermone conscriptis versibus expressit: quos ideo ad huius loci vsum sic latinos feci:

Ronsardus.

Qualiter agricolam bruma cessasse, sinúque

Algentes posuisse manus, nec forfice longa
Siccas de summa pendentes arbore frondes
Decußisse, nec hibernantes his quoque bruchos
Obtriuisse, prius quàm verno sole tepentes,
Infusóque super madefactos rore, videret
Propagare suum latéque effundere virus:
Ante quod extinctum penitus rebatur, & acri
Obriguisse gelu: postquam denso agmine vermes
Decidui ad terram lustratis vndique liris,
Inde cateruatim perreptauêre comantes
Cortice rugoso truncos, foliísque peresis,
Culmine detonsóque, retrorsùs ad ima fluentes,
Qualibet arrosere sata & viridantia circum,
Nequicquã piget, & culpã in se coniicit omnem.

Sanè recordanti mihi toto sexennio proximo nihil Gallię nostrę mali incidisse, quod non impendere quidam prudentissimi hoc in ordine viri tanto antè præuidissent, plenóque comitio obnuntiassent, succurrit authoris ethnici minimè impia de Deo cuncta mouẽte, simul obstacula rerum pro libito suo nouãdarum procul abducente, sententia: secundum quam crediderim hunc ipsum optimum maximum, qui per Apostolum suum nobis edixit hæreses esse oportere, quò pro-

Plutarch. in Bruto.

bi à reprobis dignoſcãtur, nuper ducibus noſtris rei benè gerendæ modò mentem, modò facultatem ademiſſe: quòd adepta inſolidum victoria fortaſſè nondum ſatis ſubactæ malis exercitæ'que noſtrorum, ac quondam Romanorum æmula Carthagine ſublata, mẽtes torpeſcerent. Sed hæc hactenus, ne longiùs euagando tantum non videar huius operis, quam alioqui innuit inſcriptio, rationem præteriiſſe. Nam in Euchariſtia præcipuam dæmonibus è Nicolæ corpuſculo fugandis (vnde Energumenico ſcitè ſubductus Alexicaci titulus) vim extitiſſe tota hiſtoria liquet. Quinetiam in hac omnis, vt idem Apoſtolus ait, diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat: nimirùm pane & vino mirifica horum verborum, *Hoc eſt corpus meũ*, *Hic eſt ſanguis meus*. prolatione ſic in dominicum corpus & ſanguinẽ tranſſubſtantiatis, vt interim ſubtractorũ elementorum qualitates & accidẽtia nobis pro viſibili externo & analogico (prout in hoc & aliis ſex ſacramẽtis exigitur) ſigno remanerent: quo myſticè doceremur nos inter nos quãlibet ingenio, doctrina, ge-

Colo. 2.

nere, fortuna, ac reliquis cum animi, tũ corporis dotibus diſſimiles, ceu diuerſa mẽbra in vnũ eccleſiæ corpus ſub Chriſto capite haud ſecus coniũgi, ac multa tritici grana in vnum panem rediguntur, plures racemi vuæ que in vnam vini ſpeciem cõfluunt. Niſi enim ſub panis & vini (vt diui Cypriani locutione vtar) effigie corporalis Chriſti prȩſentia lateret, nullus omnino eſſet huius ſacramenti effectus: cũ nos ab illa quam primùm adepti eramus gratia per peccatũ lapſos, vel quãtũuis pœnitẽtes, nõ alio ferè vehiculo ſurſum erigi ac ſiſti cõgruum ſit, quàm corporali eius præſentia, qui, quò nos ſummo patri infenſos reconciliaret, diuinitatem humanitati aſſumpta in vtero virginis carne ſolus & vnus coniunxit. Rectiſſimè igitur diuus ille Areopagita euchariſtiam τελετῶν τελετὴ hoc eſt, ſacrorum ſacrum appellat, quòd vni ex ſeptem ſacramentis ſolida elementorum illo vt dixi, congruo remanentibus tantum vice ſigni accidentibus mutatio cõtingat: Proinde Caluino peruicaciter inſiſtenti, quod prædictis verbis à quolibet

Cypr. de. cæna Domini.

Eccl. hierarch. de iis quæ in Synaxi perfic.

orthodoxo plus emphaſis in pronomine *Hoc*, vel *Hic*, & in ſubſtantiuo verbo *Eſt*, obtendatur, quàm vt ſchemate tropóue aliquo, potiſſimùm in ſeria tãti miraculi narratione, à cõmuni proprióq; ſenſu eadem diſtrahantur, præcipuum illius noſtræ hiſtoriæ (vt ita dicam) actorem Beelzebulem, vt pote nũc ſibi defuncto paulò magis quàm antea viuo familiarem, libens commiſero. Neque enim ſacræ ſcripturæ, vel ſuo periculo intelligentiſſimus ipſe, ab eo facilè demutauerit, quod ſe exorcizãti, ac interroganti Epiſcopo, cur Euchariſtiam Ioãnem album vocitaret, qui ſic ad ſolum eius trepidaret aſpectũ? primùm quinquies, nempe pridie calendas, ipſiſq; calendis, tum quarto, tertio, & ſecundo nonas Februarij, anno huius ſæculi ſexageſimo ſexto, ſimpliciter & pręciſè, *Hoc*, deinde ſemel, ſeptimo ſcilicet idus eiuſdem mẽſis explicitè, *Hoc eſt corpus meum*, Euchariſtiæ ineſſe cunctis ſtupentibus reſpondit. Quin poſtridie huius diei Burſio nihilominus in hac exiſtentis dominici corporis virtute ſibi à muliere exeundum eſſe denuntianti, etiã, inquit, hinc

hinc actutum sola ipsius virtute abiturus sum: ad hæc subinde queritās se istuc dolentem, verùm iussu domini à quo huc missus, & penes quem vnum veritas esset, fateri subactum. Sedulò quidem hæc à me, vt plæraque omnia, tāquam publicis, ac theatralibus, quarum in historia memini, notis disertè inscripta referri, horum porrò fidem studioso cuique facturus ecce denuntio. Sanè mihi haudquaquam propter id, quod vtcūque fungor, munus, otio abundanti, tamen subsecinum ab illo tempus non tam in veræ (vt quę vel Tridentino cōcilio cuiuis obuia sit) religionis peruestigatione, quàm tot fallacibus huius sectarij ambagibus quadā veluti periocha reprimendis, partim collocare, atque adeò multorum, nō tantidem catholicum, quanti senatorium virum esse putantium, nutantia ad leuissimum quódque hęreticorum argumentum ingenia aliquo rationis & authoritatis pōdere (vt ita dicam) saburrare decreui: etsi in his non defuturos arbitrer, qui se à me, quasi præ illis tantillo vel submoneri dedignabūtur: vt parte alia nonnul-

los hoc mihi quàm theologo, aut alij cuiquam ſacris operandis initiato æquiores fore cõfido, quòd cur veteri potius quàm nouę doctrinę adhæreã omnes vllius rei, præter quàm æternæ ſalutis cauſſas procul habuerim. Vnde verò Caluini inſtitutionibus enata ſit tanta (vt ita loquar) flexiloquentia, promptum ſit cuique harũ diuerſas triceſimo ab hinc anno editiones inuicem conferenti coniicere. Prioribus enim ſic ad Cinglianum dogma tutandum inermis proſilierat, vt à noſtris fœdè propulſus, non aliud in quod ſeſe fuga reciperet munimentum, quàm in iis quæ temerè fixerat ac refixerat fucandis, inuenerit. demum ne congreſſu longè catholicis impar ipſe ſibi Lutheranos inſuper hoſtes conciret, mediam quandam viam ingreſſus eſt, in qua vſque adeò mutãtem Protea vultus egit, vt iã tum mihi ſuum illud Geneuenſe in multo tetrius, ſed conſectarium tribunal cõmutare velle videretur. Itaque mediis quibuſdam verbis in media ſua doctrina, quò nunc hos, nunc illos falleret vſus eſt, maximè in tractatu de Euchariſtia, quã diui Pauli

li exemplo, ſed immodico rei nouandæ ſtudio, dominicam cœnam appellat, cũ magis inſtituto ſuo deſeruiẽs Apoſtolus, iam non dominicam cœnam manducaſſe arguat Corinthios, qui malo more bene poti cœnatiue ad ſacram communionem accederẽt, in hoc ſe Chriſtum imitari falsò rati, cum huic viceuerſa, ceu lapidi in caput anguli facto, ſuprema quadam veteris ad nouam legem, hoc eſt typi ad veritatem ipſam cõmiſſura, poſterior fuerit, qui nobis ſublato Iudaiſmo prior eſſe debuit actus. Ac vix quẽquam patrum reperias, qui tantum hoc ſacramẽtum diuerſis à corporis Chriſti, ſynaxeos, ſalutaris hoſtiæ, viatici, & Euchariſtiæ nominibus deſignet: ex quo ſpiritui ſancto viſum eſt, vt in honore ipſius idẽ ieiuni perciperemus. Is ergò Chriſtum nobis in cœna exhiberi ait, vt mediis, inquam, tum *Chriſti* nomine, æque ad humanam ac ſpiritalem naturam pertinente, tum *exhibendi* verbo, ſe ad vtrunlibet, modò ſcilicet ad verã, modò ad fructuoſam ſola ipſius efficacia perceptionem referente vſus, eo ſacramento nobis idem,

1. Cor. 11.

hinc secũdum Augustanos pani realiter ac substantialiter immixtum, illinc secũdum Tigurinos solum panem, quo tamẽ efficaciter dominicæ passionis fructus cõmunicaretur, dari innueret, sic vt nucleo (quod dicitur) adempto sola nobis putamina relinqueret. Neq; enim minus appositè quàm festiuè à Sanctio nostro dictum censeo, Caluini opera vtrisque vsuuenturum quod Æsopico illi cani, qui in aqua translucentem, ideóque specie maiorem carnis, quam dentibus premeret, vmbram nequicquam inhians, vera illa, vt ad hanc inanem procurreret, in flumẽ ex ipsius ore prolapsa famelicus oblatrauit. Iam verò quisquis certissima Eucharistiæ encomia, quæ mirus simplices animos dictis fallacib⁹ inescandi artifex quasi nebulas oculis nostris obiecit, carptim, seorsimq; legerit, continuò illum pium ac catholicum virum exclamet. Exorsus enim à prouidentia Dei, qua velut optimi patris familias officiũ nobis in eo præstat, quòd cibum assiduè ministret, quo nos in ea vita sustineat, & conseruet, in quã nos verbo vitæ suæ genuit, ideo nos

in examine doctr. Calu.

Cal. lib. 4. instit. cap. 17. sect. 23. & seq.

ab

ab illo patre cœlesti ad hunc, qui vnicus est animæ nostræ cibus, Christum inuitari ait, vt eius communicatione refecti vigorem subinde colligamus, donec ad cœlestem immortalitatem peruētum fuerit: pro certo statuendum esse dominicū corpus nobis hoc sacramēto exhiberi, non secus ac si Christus ipse aspectui nostro exhiberetur: magnū autē ex hoc fiduciæ ac suauitatis fructū pias animas colligere posse, quòd in testimonium habeāt nos in vnū cū Christo corpus coaluisse: mētiri nescire illū qui dixerit, accipite, edite, bibite, hoc est corpus meū quod pro vobis tradetur, hic est sanguis meus, qui in remissionē peccatorū effundetur: nam quod accipere iubet, significare nostrū esse: quod edere iubet, significare vnam nobiscū substantiam fieri: quod de corpore prædicat pro nobis traditū, de sanguine pro nobis effusum, in eo docere non tam suū quàm nostrū esse, quia vtrunque non suo cōmodo, sed in nostram salutē sumpsit, & posuit: neque verò sibi à suis satisfieri, qui nos spiritus modò participes faciunt præterita carnis & sanguinis men-

tione, vt quorum noſtram veluti carnem viuificantium participatione ad immortalitatem paſcamur: hinc & illa iam con ſequantur, quod Chriſti caro verè eſt cibus, ſanguis eius verè eſt potus, quibus alimentis fideles in vitã æternam educantur: niſi enim quis fallacem vocare deũ volet, nequaquam dicere audeat inane ab ipſo ſymbolum proponi: itaque ſi per fractionem panis Dominus verè corporis ſui participationem repręſentet, minimè dubitandum quin verè pręſtet, & exhibeat. ſed & arctiſſimam illam ſocietatẽ qua eius carni copulamur, ſplendidiore adhuc elogio à Paulo illuſtrari, cũ ait, nos membra eſſe corporis ipſius, ex oſſibus eius, & ex carne eius: proinde extremæ dementiæ eſſe, nullam agnoſcere in carne & ſanguine domini communionẽ, quam tãtam declarauit Apoſtolus, vt eã demirari magis, quàm explicare maluerit. Quis noſtrûm hęc dictu ſpecioſiſſima primis auribus admittẽs, non amplectatur? At verſipellis mediis & ambiguis illis vocibus occultè in eum ſenſum ſerpere cœpit, quo eadem omnia ad imagi-

nariam corporis mãducationem, vel sanguinis bibitionẽ referret, horúmque substantiam, quodam (si superis placet) fidei canali è summo sacratissimæ trinitatis throno ad ima deuexo fluentẽ in animas nostras infunderet. Sed is arundineus à Villaganone nostro, in Melitanis equitibus strenuissimo, nec minus hæreticis calamo, quàm Turcis, & Mauris telo conficiendis, valido, adeò contritus est, vt ne minima quidem eius imaginatio in mẽtes nostras influere possit. iam vt eas horribili Satanæ fascino dementatas fuisse, suámque, licet optimè per omnia scripturis cõuenientem, doctrinam refugisse, & ad abhominandam, quam Romanæ (inquit) curiæ artifices confinxerunt, transsubstantiationẽ confugisse Caluinus exclamet, non vsque tamen obtusas arbitretur, vt inaudita sacramentalium (quos vocant) verborũ hyperbole, ipsam Christi corporis & sanguinis substantiam sine corpore & sanguine esse, nedum per vllũ fictilem tubulum colare posse intelligãt. Ridiculum verò quod veteres interdum conuersionis verbo, sed non in hoc vsos

d. cap. 17. sect. 12. & seq.

fuisse fatetur, vt abolere vellent substantiam in externis signis, sed vt docerent panem mysterio dicatum longè à veteri distare, ac iam alium esse, eóque restringēdam panis & vini, quemadmodum & in baptismo aquę conuersionem: vt quadam externa symboli analogia à re visibili ad inuisibilem deduceremur: hactenus vt vtrobique vera, scilicet in baptismo aquę, & in cœna Domini panis & vini elementa remanerent, ne, alioqui subtracta oculis nostris horum figura, ambigeremus, corporis visibili elemēto, & exteriori ablutione, hinc spiritale alimentū, illinc interiorem animæ ablutionē significari, cum funditùs ipsa sacramenti natura euerteretur, nisi in modo significandi terrenum signum rei cœlesti respōderet. Rectè sanè, si in sola specierum significantium notitia vtriusque sacramēti vis consisteret: itaque minus infanti quàm adulto baptismus proficeret, vel ob communicātis impietatē Eucharistiæ veritas deficeret. Quibus ferè axiomatis suā ille doctrinā substruxit. Magnū porrò nō iterabilis, ab iterabili sacramēto discrimen:
nempe

nempe in hoc neceſſaria eſt ſpecierũ con
uerſio, quatenus non aliud (vt dixi) pec-
cato relapſis, quàm in dominici corporis
& ſanguinis præſentia extat vehiculũ: cũ
interea ad operandam per baptiſmũ gra-
tiam, non alia quàm, qualis ex transfixo
Chriſti latere defluxit, aqua exigatur.
Pergit tenebrio, quod nemo non vaniſ-
ſimum iudicet, affirmare: quippe diui
Bernardi temporibus nondum agnitam
fuiſſe trãſſubſtantiationem. Qui ſi de vo
cis vſu tãtùm loqueretur, otioſum illi pu-
tarem in eo mordicùs hęrere: vt cuius vo
cis ſynonima, tranſmutationẽ ſcilicet, &
tranſelementationem, multò anterior æ-
tas hoc in Euchariſtiæ tractatu vſurpaue-
rit. Adhæc quas afferimus conuerſionis
ſimilitudines, vlla rerum & verborum a-
nalogia ſuſtineri poſſe negat. nihil ad il-
luſtre illud virgę Moſis in colubrum ver-
ſæ miraculum, ſimile ac vicinum habere
illam, quam panis & vini in dominicum
corpus & ſanguinem fingimus conuerſi-
onem, cuius nullus in terra oculus teſtis
eſt, vt inde Euchariſtia καταχρηστικῶς,
nec ineptè ſecundũ id quod apparet poſt

eam quam (vt blaſphemus ſomniat) magicæ incantationis inſtar ducimus cõſecrationem, panis vocetur: neſciri enim ſubſtantiæ'ne fuerit extẽporalis illa conuerſio: ſpectandam etiam alluſionem ad virgas Magorum, quas ideo colubros dicere noluit propheta: ne innuere videretur conuerſionem, quæ nulla erat: cum præſtigiatores illi, nihil aliud quam tenebras ſpectantium oculis infunderent. Atqui in Energumenico veros colubros ab iiſdem Magis excitatos fuiſſe ex diui Auguſtini ſententia retulimus. Poſtremò idẽ chriſtianæ doctrinæ cenſor acerrimus, à nonnullis veterũ inſulſè detorqueri contendit Ieremiæ verba hæc, *Mittamus lignum in panem eius, &c.* vt in die paraſceues eundem crucis ligno ſuffixum panem, qui Chriſti verbis in ſuũ ipſius corpus pridie mutatus fuerat, allegoricè intelligerẽt. Cæterùm ſuis in omnibus ſcriptis, quæ ſanè multa & nimia circunferũtur, vel fucata, vel mera, eadémque vt plurimum inter ſe pugnantia verba fundere viſus, hoc nihilominus elogium à Beza diſcipulorum ſuorum primario, vix tandem

dem fato functus ipse, retulit, vt ab hoc post Christum & eius Apostolos solus fuisse iactaretur, qui veram & synceram de Eucharistia doctrinam nobis tradidisset. At cui paulò antè in Pisciacensi illo cõciliabulo apertè refragatus fuerat, cum elato supra modũ animo suam de præsentia dominici corporis & sanguinis in cœna sentẽtiam pythonici oraculi instar edidisset: se minimè quidem Christum ab hac facere absentem, sed interim tanto locorum spatio, quantum cœlum à terra distat, ipsum Christi corpus à panis & vini speciebus dominicæ cœnæ appositis disiungi palàm professus est. Quò igitur huius substantiæ per canalem defluxus? Verùm suis illis, quãuis aliud sonantibus, verbis dominicæ cœnæ per fidem Christum adesse intelligebat: mox verò suam sententiam, toto alioqui theatro explosam, pari temeritate (quasi cuiquam in re tam seria dogmata figere ac refigere liceret) in nihilo meliorẽ conuertit: cũ in primis quorundã Luteranorũ illîc astãtium apud Comitem Palatinũ delationes vereretur, vt cui, octauum circiter annum

iam tum legatus de disturbanda iis, quæ demum secuta sunt, bellis Frãcia missus, Caluinianis assertionibus Christi verum re & substãtia corpus in Eucharistia contineri persuasisset. Opportunã igitur demerendæ Germani illius principis gratię recãtationem gallico sermone concepit: cuius hic vtique sensus. *Fatemur Christum in sua cœna nobis verè sui corporis & sanguinis substantiam per spiritus sancti operationem offerre, dare, & exhibere: nósque huius propriũ & in rem nostram mortuum corpus sacramentaliter & spiritaliter per fidem recipere, & mãducare, vt os ex ossibus eius, & caro ex carne eius efficiamur, eo viuificemur, ac quicquid saluti nostræ conducit percipiamus. Ac quoniam fides verbo Dei nixa res promissas reddit, & efficit præsentes, hac fide Christi verum & naturale cum sanguine corpus eiusdem Spiritus sancti virtute reuera percipimus. Quo respectu fatemur Christi corporis & sanguinis in cœna præsentiam.* Quæ verba captiosa si quis sigillatim discutiat, nullum, opinor, fructum lectoribus inde cõtulerit. Quinetiam ad hæc quasi portenta nostros, qui aderant, theologos aiunt continuò succlamasse

clamaſſe, fidẽ in hoc eucharistico ſacramento longè efficaciſſimam eſſe, ſed non eouſque, vt res abſentes, præſentes facere poſſit. Quid porrò magis impiũ, nedum abſurdũ, ſuo illo, quo interim ſacramẽtalia verba floccifaciens dominici corporis & ſanguinis in Euchariſtia præſentiã ad percipientis fidem retrotrahit ac ſuſpendit reſpectu? Profectò nullã Petro Martyri Vermilio Florentino reclamandi occaſionem hinc præſtitiſſe viſus, cum nihil re ac ſignificatione diuerſum ab eo ſtatuiſſet, quod tũ pro ſuis Cinglianis ſcripto conteſtatus eſt. cuius verba ſunt. *Reſpondeo pro mea parte, corpus Chriſti non eſſe verè ac ſubſtantialiter alibi quàm in cœlo: non tamen inficior Chriſti corpus verum, & ſanguinem illius verum, quæ pro ſalute humana tradita ſunt in cruce, fide atque ſpiritaliter percipi à fidelibus in ſacra cœna.* Neutris enim mens fuit veram & corporalem Chriſti ſubſtantiam, alibi quàm in cœlo pręſentẽ facere, proinde nũquam illinc dimotam, tantum fide & affectu, hoc eſt fidei efficacia ſpiritaliter in ſua cœna percipi intelligentes, de verbo potius quàm de re in-

ter ſe ipſi diſceptarunt: contrà Luteranis catholicæ perſuaſioni, ſcilicet in eo aſſentientibus, quòd pani & vino in cœna appoſitis, verum & naturale Chriſti corpus ineſſe, hócque vel ab indignis ſumi cenſuerunt, reliquo in ſubruendam, quam prorſus aſſerimus, tranſſubſtantiationem cum Cinglianis & Caluinianis conſpirãtes. Huius ergò præcipuum verboſo admodum opere oppugnatorem Petrum iſtum martyrẽ pugillari Alexicaco, quaſi gladiolo, cõficere aggreſſus, candido cuique lectori magis Energumenicæ hiſtoriæ ſubſeruiiſſe, quàm theologicum mihi munus hîc arrogaſſe videbor. Is ſiquidẽ multos ſanctorum patrum de elementari in hoc ſacramento conuerſione locos à Stephano Gardinero Vintoniẽſi Epiſcopo adductos ſic diluit, vt ſe non tam acutum diſputatorem, qualis à ſuis vulgò iactabatur, quàm ridiculum cõuitiatorem prodat; vt qui proiecto in vrticis & vepribus, vt vulgò loquimur, cucullo, haud dubius apoſtata, neque latino neque etiam ſalſo dicterio illum, tertio quoque verbo, vocet inconſtantium, qui in catholi-

ca, quàm à teneris imbiberat, religione adeo perstitit, vt toto ferè Eduardi iunioris principatu in carcerem eo nomine retrusus sit, quòd hæreticorum de missa & cæteris eius generis cæremoniis abrogandis decreta, quæ Rege adulescentulo fierent, nullius momenti esse contendisset: cum is interim pseudomartyr Argentorato in Angliam profectus regnũ illud venenosis suis afflatibus inficeret. Vt igitur rem ab hoc blaterone pluribus actam in pauca conferam, quod plusquã Achilleum ab ea comparatione, quæ præclaro Iustini loco inest, velut extra mutuę propositionis similitudinem minimè facienda iactat argumẽtum, nempe ex eo quòd diuus idem philosophus, quemadmodũ Dei verbo Christus in vtero virginis incarnatus est, ità ex panis & vini speciebus eodem verbo sanctificatis corpora nostra per immutationem nutriri ait, haud magis arguendam in hac Eucharistia, quàm in illa incarnatione transsubstantiationẽ, facilè deterserit vtrobique mirifica in vnum eundémque finem, etsi modo & ratione diuersa, diuini verbi operatio. Sci

Sleidanus Comm. lib. 19. 20. & 22.

P. Martyr lib. 1. defen obiec. 13.

Iusti. apolo. 2. ad. Anto. Imp.

licet in illa non id actum est vt beatorum Mariæ viscerum substãtia in spiritale aut phantasticum, quale Christo olim Marcionistę & Valentiniani affinxerunt, corpus desineret, imò verò vt ex ea verus homo, absque virili semine efficeretur: cum ex aduerso in Eucharistia panis & vini species in nihilum redigãtur, eísque subremanentibus harũ accidentibus occultata dominici corporis & sanguinis substantia succedat, sic vt eadem sanguis & carnes nostræ κατὰ μεταβολὴν, id est, per transmutationem alantur. Hanc enim quam nec apostata reprobat versionem, Cormeriacensi altera, nisi fortè in voce communionis quædam substantiarũ vicissitudo seu alternatio subaudiatur, potiorẽ duco. Diui porrò Irenei verba hęc,
Contra hæret. lib. 4. cap. 32.
Eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit dicens, Hoc est corpus meum: & calicem similiter qui est ex ea creatura, quæ est secũdum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamẽti nouã docuit oblationẽ, quã ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo deo offert: sic interpretatur vt pane & vino creaturis secundum nos, maius quiddam nempe sa-

pe sacramentum effici contendat. Ex his interim nouam ecclesiæ oblationem nobis ab Apostolis, quasi per manus traditam naturalibus solùm elementis fieri relinquēs. Proinde Origenem sub his verbis, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur, in remißionem peccatorum*, minimè in carnis, sed in verbi sanguine hærendum esse docentem, nō ad veram, sed spiritalem sanguinis spectasse perceptionē. Quî verò (vt cum Vintoniēsi loquar) hæream in sanguine carnis vbi nullus est sanguis? hunccine imaginariè, qui toties ab isto velut vnicus inculcatur modus, insuper verè ac realiter, fide scilicet, id quod abest sistēte, percipiam? Quorsum diuus Cyprianus olim à Melchisedecho significata prodire sacramenta, & filiis Abrahæ opera facientibus à summo Sacerdote panem & vinum cum his verbis, *Hæc est caro mea, Hic est sanguis meus*, sic proferri ait, vt quotienscūque id fide actum est, quod antea solùm nutriendo corpori cōmodum erat, mox solenni benedictione consecratum ad totius hominis vitam salutémque proficiat, simul medicamentū

Orig. homi. 9. in Leuit.

de cœna Domini.

& holocaustum ad sanãdas infirmitates, purgandásque iniquitates nostras existat? An vt, quod vsque ad rauim rabula clamitat, is, quòd non diffitetur, à Melchisedecho pręsignatum nondum peracti in cruce sacrificij monimentum in pane & vino referret, nec nouam aliquam his in speciebus oblationem institueret? quas potius Abrahæ à cæde regũ reuerso, proinde potu cibóque, vt plurimũ militãtibus vsuuenit, recreãdo prolatas fuisse ex
d. obiect. 13 eo cẽset, quod nõ offerẽdi, sed proferẽdi verbo scriptura scitissimè vtatur: verùm sub hoc cõtextu, *Melchisedech Rex Salẽ proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altißimi) benedixit ei.* vt quid benedixit, minórne maiori? at hunc sensum Paulus reijciẽs, *sine vlla contradictione*, inquit, *quod minus est à meliore benedicitur*. Adde quod illa parenthesi perspicua fit panis & vini proferendi caussa, vtpote quæ nullo modo in cauponem vel annonę structorem, qualem Melchisedechum isti fingere videtur, cadere possit, quippe alterutro nomine & victimæ Deo offerendę, & viatici, quo vocabulo etiam vis sacramẽtalis eucha-

eucharistiæ innuitur, Abrahæ, in quo omnis præputij repromissio, prębendi. Ità, vtranque significationem generale illud proferendi verbum scitissimè complectitur. Cur autem Apostolus paulò antè præfatus sibi grandem & inexplicabilem restare sermonem, nullam eius oblationis mentionem fecerit, *non quia*, inquit Hieronymus, *non potuerit non interpretari, sed quia illius temporis non fuerit: Hæbreis enim, id est Iudæis, persuadebat, non iam fidelibus, quibus passim proderet sacramentum*. & paulò pòst, *vt dicamus duo sacerdotia inter se comparata, prioris populi & posterioris, & hoc agit tota disputatione, vt ante Leui & Aaron sacerdos fuerit Melchisedech ex gentibus, Cuius tantum prædicat meritum, vt futuris sacerdotibus Iudæorum in lumbis benediceret Abraham, totùmque quod sequitur in laudes Melchisedech ad Christi typum referri, cuius profectus ecclesiæ sacramenta sunt*. Sed & illum scripturæ locum fusius enarrans diuus Eucherius. *Sine sacerdotali aliqua*, inquit, *genealogia homo extitit ex hominibus, vtpote ex tribu Iuda, ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit, vtique propter mysterium sa-*

cap, de Melchisedec incipiẽte Misisti.

Lib. 2. in Genesim.

cramenti, quod Christianis celebrare preceptum est, vt non secūdum Aaron pecudum victimas; sed oblationem panis & vini, id est corporis & sanguinis eius sacramentum in sacrificium offeramus. Ibi quippe primum apparuit sacrificium quod nunc Christianis offertur toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longè post hoc factum per prophetā dicitur ad Christum qui adhuc venturus erat in carne, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: non scilicet secundum Aaron, qui ordo erat auferēdus illucescentibus rebus, que illis vmbris prænotabantur. Quæ veteris illius Episcopi Lugdunensis verba eò libentius retuli, quòd ea partim ab Augustino, quem totum sibi, nescio quo iure, vendicant hęretici, fuerit mutuatus. Quantò vera vndique gentiū futura esset eius sacrificij, veluti Leuiticis illis subrogandi, celebritas pulchrè Malachias vaticinatus est in hęc verba, *Non est mihi volūtas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manibus vestris: ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quod vaticinium,

Lib.16.de ciuitat. Dei cap.22.

Malac.1.

ne quis posthac aliò referẽdum putet, supra scriptis Irenei verbis quoque subiicitur. Quanquam id propriè ad Iudęorum sacerdotes qui claudum & lãguidum offerũt dirigi affirmet idem Hieronymus, *vt sciant*, inquit, *carnalibus victimis spiritales victimas successuras, & nequaquam taurorum, hircorûmque sanguinem, sed thymiama offerri*. Ex quo non defuere qui illud tantùm ad spiritalia illa sacrificia, quæ nulli⁹ unquam legis propria, sed omnibus temporibus & hominibus communia extitere, referrent. Sed hi mihi velim simul ostẽdant modum & rationem, quibus dici possit spiritalia eadem carnalibus Leuitarum sacrificiis, vtpote quibuscum semper commixta durauerunt, successisse. Sed neque quicquam in rebus humanis nostra vel actione, vel cogitatione, vel locutione profectum per se dixeris mundum, solo eucharistico, quod in Missarũ solennibus conficitur sacrificio, hanc absolutæ cuiusdam munditiei laudem sibi vendicãte, nempe dominici corporis interuentu, ac sacramentali ipsius præsentia: quam ideo spiritalem victimã diuus

in cap. 1 Mala.

iste nuncupat, quòd sola fide & spiritu, nequaquam verò sensu aliquo corporeo percipiatur. Eóque mihi spectare videntur Augustini, de apocryphis quibusdam scriptis, quæ sub nominibus Apostolorũ Ioannis & Andreæ conscripta erant, loquentis, verba hæc: *Quæ si illorum essent, recepta essent ab ecclesia, quæ ab eorum temporibus per Episcoporũ successiones certissimas vsque ad nostra & deinceps tempora perseuerat, & immolat Deo in corpore Christi sacrificium laudis, ex quo Deus Deorũ locutus vocauit terram à solis ortu vsque ad occasum. Hæc quippe ecclesia est Israel secundum spiritum, à quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui seruiebat in vmbris sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium quod nunc offert Israel secundum spiritum.* & paulò pòst citato psalmo c.ix. *Ibi quippe & hoc dictum est, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius, & vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio incredulorum est increpatio. Et*

Contra aduersarium leg. & prophet. lib. 1. cap. 20.

quod

quod Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit. Mutauit quippe sacerdotium Aaron, vnde alius Propheta dicit ad eum qui carnaliter est Israel, Nō est mihi voluntas in vobis, dicit dominus omnipotēs, & hostiam non accipiam de manibus vestris: Ecce quod est secundum ordinem Aaron. Cur autem nō accepit addit, & dicit, Quia ab ortu solis vsque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia pura, quia magnū est nomē meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Ecce quod est secūdum ordinem Melchisedech: incēsum enim, quod est græcè thymiama, sicut exponit Ioannes in Apocalypsi, sunt orationes sanctorum. Quæ quidem Augustini verba sic cum illis Hieronymi sensu cōsistunt, vt idem vterque penitus dixisse videatur, atq; adeò thymiama, seu sanctorum orationes, taurorum, hircorúmque sanguini, in eam rationem opposuisse, qua dominici corporìs & sanguinis sub panis & vini speciebus oblatio Eucharistia (quæ græca vox gratiarum actionem sonat) vocitata est: tāquam hoc sacramenti ritu, ceu præcipua Christiano-

rum cæremonia, quæ precibus ac verborum (vt ita dicam) sanctificatione illis speciebus adhibita conficitur, Deo patri Christum filium præsentem, vtique pro sua reuerẽtia (vt Apostoli verbis vtar) exaudiẽdum sistamus. Quis enim ferat carnalibus victimis meras preces nulla rei sacræ accessione opponi, atque ità opponi, vt successisse iis dicãtur, quibus hæ, vt dixi, semper commixtæ fuerunt? Porrò autem qui Hæbraica tractant, Rabbinos quosdam ante Christi aduentum fuisse aiunt, qui hoc Malachię loco non obscurè præferrent, iam tum se vereri Leuiticũ suum sacrificium recepto gẽtilitio à Deo abiectum: sed & horũ aliquos eò adductos, vt constanter affirmarent ab illo aduentu cessatura omnia veteris legis sacrificia, iisque perpetuò successuram (quandoquidẽ ab regio propheta Christus secundum ordinem Melchisedech, sacerdos in æternum prædiceretur) mysticam panis & vini oblationem: postremò iuge christianorum sacrificium proximè ad eã vocem, qua Hæbræi similæ absque fermento pistæ oblationem significarent,

Hebra. 5.

Vide Galatinũ de arcan. cathol. ver. lib. 10. cap. 4.

Psal. 109.

Missam

Missam dictitatũ. Iam vero, ne proposito longiùs abscedam, duplex in hoc Eucharistico sacrificio vis & effectio, duabus & medicamẽti & holocausti, quibus prædicto loco Cyprianus vtitur, vocib⁹, & aliquanto post sequentibus, quæ huc etiam carptim cum breui nec minus dilucida horum interpretatione trãscribemus, explicanda. *Panis iste cõmunis*, inquit, *in carnem & sanguinem mutatus procurat vitam & incrementum corporibus*. Quid incrementum, perinde ac si æterna, de qua disertè loquitur, vita, naturali, eo scilicet, quod communi cibo, potúque in carnem & sanguinem cõuersis fit, incremento adipiscatur? Quæ sentẽtia Tigurinis (quorum in primis est iste nequaquã laureatus martyr) nil aliud in mero pane diabolica sua cœna exhibito, quàm imaginariã Christi substantiam apprehendentibus, valdè arrideat. Ac vt planè impia sit, attamen Augustana mortuis speciebus viuificum corpus & sanguinem immiscente, multò, vt postea dicemus, æquior ac pudentior esse videatur. Iam, quod ab eo ibidẽ subiicitur, nõ tam corporali quàm

Cypr. de ca. dom.

quàm ſpiritali trāſitione nos Chriſto vniri, quæ ſaltem comparatiuis his duobus aduerbiis *Tam*, & *Quam*, corporali adiungitur trāſitio, pro ea accipiatur, quàm minimè ſenſu corporeo, ſed ſolo ſpiritu & fide, quippe, vt diffinit Apoſtolus, rerum non apparentium argumento, merè realem amplectimur. Quinetiā contendentibus ſolam ſpiritalem, abſque corporali ſufficere, hactenus aſſentiar, ſi hanc quoque voto percipientes cogente interdum neceſſitate præſumere nequiuerint: tum corporalem, ſi ſpiritalis abſit, valde noxiā declarant eiuſdem Apoſtoli verba hæc: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ipſe enim*, addit Cyprianus, *& panis & caro & ſanguis idem cibus ſubſtantia & vita factus eſt eccleſiæ ſuæ, quam corpus ſuum appellat, dans ei participationem*. Qui locus Interim duplici Iuriſconſultorum noſtrorum reſponſo ſtratus, pio lectori minus fortaſſe lubricauerit. *Tria*, inquit Pōponius, *genera ſunt corporum: vnum quod cōtinetur vno ſpiritu, & græcè* ἡνωμένον *vocatur, vt homo, tignum, lapis, & ſimilia. alterum*

Heb. 11.

1. *Cor.* 11.

Cypri. ibid.

L. rerū mixtura. Dige. de Vſucap. ſeu vſurp.

rum quod ex contingentibus, hoc est, pluribus inter se cohærentibus constat, quod συνημμένον *vocatur, vt ædificium, nauis, armarium: tertiū quod ex distantibus constat, vt corpora plura nō soluta, sed vni nomini subiecta, veluti populus, legio, grex.* Ab hoc ergò celeberrimo doctore in ecclesia, hoc est, fideliū congregatione constitutum posterioris generis corpus: ex quo etiā grege singuli vt omnes, & omnes vt singuli, à suo pastore & capite Christo, Christiani denominati sunt. Enimuerò eius quod in primo genere est, quippe ex virginali vtero educti corporis participatione, ij aptissimè inter se cohærentes, secundi generis corpus efficiuntur, nempe coedificati *super fundamentum Apostolorū & prophetarum, ipso summo angulari lapide IESV Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in domino*: & hi sanè vnum, idémque simul omnes potiore modo cēsendi sunt, quàm quo Alphenus eandem nauem esse respondit, quæ sæpe adeò refecta esset, vt nulla vetus tabula in ea remaneret: quóque Plutarchus scribit illam ipsam, qua Theseus Cretam aduectus, & inde

Ephes. 2.

L. proponebatur D. de iud.

Plut in Thes.

domum reuectus eſt, ab Athenienſibus vſque ad Demetrij Phalerei tempora ſer uatam, cùm vetuſtis ac putribus lignis quotidie noua & valida ipſi ſufficerēt, & coaptarent: Multò namque capacior eſt eccleſiæ, id eſt, arcæ defungendis diluuij periculis extructæ contignatio, quàm vt ouile Chriſti tot regionibus longè latéque diffuſum, tot effluxis propagatum, futuríſque in dies augeſcens ſeculis arctè conſtringat: hinc verò miranda maximè, quòd nouæ & innumerabiles tabulæ, ſic in ea inſerantur, nihil vt interea vetuſtarum decedat, propter inibi vegetantem diuinam participationem. quam & latiùs

Cypr. ibidē. aperit his verbis, *Et nos cum caro eſſemus & ſanguis, corrupta & infirma corporis animæque natura reformari non poteramus, neque ad ſimilitudinem Dei reuerti, niſi morbo inueterato imponeretur malagma conueniens, & in curatione deſperatæ infirmitatis contraria remouerentur contrariis, & ſimilia ſimilibus conuenirent*. Hîc autē malagma intellexit, quod paulò antè ſanandis infirmitatibus medicamentum in pane & vino cōſecratis exiſtere dixerat. Siquidem primis parentibus

bus cibi ſeu fructus in ligno pendentis e-
ſus à domino interdictus, ſimul horũ cõ-
tumacia poſteritati contractus incurabi-
lis animarum morbus. Huic ergò ſanan-
do qui itidem in ligno pependit cibus, lõ
go poſt tempore manducari iuſſus eſt, vt
in generali ac mutua morbi & curationis
per collationem cibi ad cibum cauſſa ſi-
milia ſimilibus conuenirent, tum, hoc vi-
uifico cibo depulſa, quæ mortifero illo in
ueterauerat, ægritudine contraria cõtra-
riis curarentur. Clangente porrò angeli- 1. Cor. 15.
ca tuba, mortuis omnibus cõmunis, ne-
que tamen ęqualis futura eſt reſurrectio:
tantùm enim his qui adhuc peregrinan-
tes ſe eodẽ incorruptilili cibo, aut ſubſi-
diario viatico, prę muniuerint, ſui immu-
tatio ac reformatio in melius, nimirùm,
quod ille ait, corruptibili, ac mortali quo-
uis corpore incorruptionẽ & immorta-
litatẽ induẽte, diuini numinis inſtar cõti-
gerit. Cæterùm ad imaginariã dominici
in pane corporis exibitionẽ excludendã,
vix quicquam expreſſius inuenias his cõ Cyp. ibidem
tinuo ſequentibus. *Panis iſte quem dominus
diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mu-
tatus*

tatus omnipotentia verbi factus est caro: non effigie, inquit, vt hac tropologica accidẽtium tenus figura, per omnipotentiā verbi mystica euanescentis substantiæ panis & vini in carnẽ, quemadmodum & angelo nunciante, verbum caro factum est, mutatio indicaretur *Et sicut*, addit, *in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita sacramento visibili diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatem corporis, cuius corpus sacramenta sunt, syncerior pateret accessus*, Ecce tibi in cuiusque sacramenti visibili forma inuisibilis gratia, id est, proprium eius quæ elemento significatur, veritatis subest corpus. Nam sicut aquæ, qua batissmo extrinsecùs abluimur, verè inest ab hac figurata peccatorum ablutio, & remissio, ità in Eucharistia modò residuis consecrati panis accidentibus figuratum subest verum Domini corpus, quo solò scilicet vna omnes ad æternæ vitæ participationem coniungimur, cùmque nostro, vti membra, capite cõcorporamur. Hac autem persuasione securi, pura syncera ac deuota mente ad tanti sacramẽt

corpus

corpus, æternam in illo vitam manducaturi, accedemus. Sin aliter, ipſique de perſpicuis Chriſti verbis diffidimus, certè coalita irreuerentia, iam nō Domini corpus id eſſe iudicantes, nobis quod Apoſtolus interminatur iudicium manducabimus: nec admodum Caluinianis ſacramentalem eius effectum, ad ſuæ vel mãducationis actum vel fidei aſſenſum (mirùm reſtricta, quo cœli firmati ſunt, verbi poteſtate) ſuſpendentibus, diſſimiles erimus. Quorum quidem temeritas eouſque progreſſa eſt, vt operatoriã erga corporea elementa vim ſacramẽtalibus verbis abeſſe negent, quæ nihilominus ſua in cœna recitari patiuntur, verùm eo, inquiunt, vt iis quaſi commonitoriis, aſtantium fides excitetur, qua demũ ſibi, quod nuſquàm adeſt, Domini corpus ſiſtãt, idque (ſi ſuperis placet) ſine re realiter mãducẽt. maximè verò huic ſuo hyperbolico figmento applaudentes, ſacerdotibus noſtris, tanquam rerum rudibus & imperitis eadem verba magici carminis inſtar vſurpari ridiculè exprobrant. vltro etiam nobis, velut ad hæc conniuentibus, con-

Ioan. 9. uiciantes, idem, opinor, Christo facturi si is denuò in terris degens cæci nati oculos sputeò luto cum his verbis, *Vade ad natatoria Siloë, & laua*, illineret. Enimuerò Cyprianus synceriorem hoc sacramento ad veritatem accessum non vsquequaque simplicitérue, sed vsque ad participationem spiritus patere dixerat:

Cypr. ibidē. *non quod* (vt interrupta contexam) *vsque ad consubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem germanissimam eius hæc vnitas peruenisset. Solus quippe filius patri consubstantialis est, nec diuisibilis, nec partibilis substātia trinitatis. nostra verò & ipsius coniunctio, nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat & confœderat voluntates. ita ecclesia corpus Christi effecta, obsequitur capiti suo, & superius lumen in inferiora diffusum, claritatis suæ plenitudine a fine vsque ad finem attingens, totum apud se manens totum se omnibus commodat, & caloris illius idētitas ità corpori assidet, vt à capite non recedat. Panis itaque azimus cibus verus & syncerus, per speciem & sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis, quem quotidie edimus, vita est corporis, ità*

panis

panis iste supersubstantialis vita est animæ & & sanitas mentis. Atqui eo loco statim ab iniecta spiritus mentione nouelli isti doctores nescio quid hyperbolici subodorabuntur: eóque magis eius participationem à vero Christi corpore secludēdam esse rebuntur, quòd ibidem huius sacramenti vnitatem non vsque ad consubstantialitatem Christi peruenisse subiungatur. Et quidem Arriani ab hoc inclyto martyre cum minimùm septuaginta annorum curriculo præuenti, consubstantialitatis cum Christo adiectionē suo primùm tempore ab homousianis (quo nomine tunc Catholicos illi cauillabantur, vt nunc quoque ab istis per deridiculum Papistæ vocitamur) excogitatā fuisse fremebant: háncque non alia ratione auersabantur, quàm quòd filium, quem meram creaturam esse falsò profitebantur, Deo patri consubstantialē dici posse negarent. Ne quisquis ille Christo per hoc sacramentū germanissima societate coniunctus longè aberit ab ea opinione, vt se aliásue quamlibet excellentes creaturas credat cum suo creatore ea vnitate, quæ

à Pomponio in primo corporum genere ſtatuitur, concorporari · quas ſatis ſupérque fuerit altero, & ſecũdo genere, quod ab Alpheno explicatur, Chriſto capiti ſuo, eo modo coniungi, quo noua ſubinde contabulatione nauis vetuſtate marceſcens cõſolidatur, ac ſubſtruitur, tametſi viceuerſa nouitij ipſi per vegetã Chriſti, diuina æternitate veteris, coniunctionem roboremur, &, quod ait Apoſto-

Ephes. 5. lus, *membra corporis eius, & de carne eius, & de oßibus eius efficiamur*. quanquam aliàs

Ephes. 4. cum eodẽ Paulo dici poſſit, nos per hoc ſacramentum ad naualis huius cõtignationis ſimilitudinem exuto vetere nouũ in Chriſto hominẽ induere. Ab illo igitur primi generis, planè ipſa trinitatis ſubſtãtia indiuiduo corpore, facilis ad alterum ſecundi generis corpus, ſine aliqua confuſione ac mixtura noſtræ cũ diuina ſub-

Colocen. 2. ſtantiæ, ſoláque dominicæ, *in qua omnis diuinitatis plenitudo corporaliter*, vt dictum eſt, *inhabitat*, carnis cohærẽtia, fit trãſitus. Ab hoc verò connexo ſecũdi, ad poſtremũ tertij generis, nẽpe ex multis ſingulis & diſparatis conflatũ corpus gradatim ſub-

itur

itur, dum per naturalem prioris illius efficientiam quodam diuinitatis influxu, absque vlla substãtiarum commixtione, eadem omnia inter se copulantur, ac diuersa veluti membra in mysticum ecclesiæ corpus congruẽtia Christo capiti suo coadunantur. Iam verò quæ ex Cypriano retulimus, azimi panis vti nos tactu sanctificantis, fide illuminantis, veritate Christo conformantis, elogia, nemo ad communem illum censeat referenda, sed ad hunc solum, qui porrò sacramẽtaliter mutatus, in supersubstãtialem perpetuò, vel viuificandis corporibus, vel satiandis animabus, idoneum panem euaserit. Huc etiã quæ antiquissimus iste scriptor paulò antè prefatus est, subnectere iuuat. *Manifestata est*, inquit, *spiritalis & corporalis cibi distantia, aliud fuisse quod prius est appositum, & cõsumptum, aliud quod à magistro datum est & distributum. Quandiu cibi illi qui ad diem festũ erant parati, à conuescentibus Apostolis sumebantur, veteris paschæ agebatur memoria, necdum Iudas ad veterem vitam pertinens diabolo inuadente & occupante animum eius egredi cogebatur: sed vbi sacrũ cibum mens*

perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intrauit, parricidalis animus vim tanti sacramenti non sustinuit, quasi palea de area exufflatus est, & præceps cucurrit ad proditionem, & pretium, ad desperationem & laqueum. Viden, æquissime lector, tam authentico scripto penitus euersam infœlicissimi huius sæculi hæreticorum de suspensa hoc in sacramento dominici corporis propter manducantis perfidiam veritate sententiam? A qua quidem non procul abesse ij mihi videntur, qui se pro catholicis gerentes, & interea transsubstantiationis, quasi nudam verborum non rei, controuersiam, declinantes, in sacrosancta Eucharistia, non vltrà eloquendum censent, quàm vt corpus & sanguinem dominicum ei inesse credamus: vel ferè illud Mariæ, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, instar* huius Capernaitarum, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*, probris exagitaturi. Scilicet in hoc fastosam magis ferociter reclamantium, quàm docilem sedulò inquirentium (qualis in illo tantùm solicitæ de sua pudicitia virginis) interrogationem non animaduertunt: Cæterùm

terùm de modo rei æquè admirabilis, ac per rerum naturam impossibilis, nō apertiùs diuæ eidem ab angelo, ac perfidis Iudæis à Christo responsum est: nempe ei absque contactu virili pariturae, virtutem altissimi obumbraturā: illis, hac ipsa virtute non difficilem fore carnis suæ manducationem. *Spiritus*, inquit, *est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Quasi susurrātibus Capernaitis iam tum ediceret se lōgè aliam ab hac, quam animales ipsi interpretarentur, iniuisse rationē, qua seipsum & cum ingenti fructu vitaliter, & absque horrore carnaliter edendū præberet: proinde verba sua referēda esse, non ad barbaram & inhumanā illam, quæ Antropophagorum more mortuæ cuiusquam sine viuifico Spiritu fit, sed ad mysticam suæ carnis, in qua vita ipsa residet, manducationem. Quod & apertius diuus idem disseruit his subsequentibus verbis. *Orta fuerat aliquando, sicut in euangelio Ioannis legitur, de nouitate verbi huius quæstio, & ad doctrinam mysterij huius obstupuerant auditores, quum diceret dominus: Nisi mā-*

Luc. 2.

Ioan. 6.

Cypr. ibid.

ducaueritis carnem filij hominis, & biberitis huius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam, quia non credebant, nec poterant intelligere, abierant retro: quia horrẽdum eis & nefariũ videbatur vesci humana carne, existimãtes hoc modo dici, vt carnem eius vel elixam vel assam sectámque membratim edere docerẽtur: cum illius personæ caro, si in frusta partiretur, nõ omni humano generi posset sufficere, qua semel consumpta videretur interiisse religio, cui nequaquam vlterius victima superesset. Sed in cogitationibus eiusmodi caro non prodest quicquam: quia sicut magister ipse exposuit verba hæc, spiritus & vita sunt, nec carnalis sensus ad intellectum tãtæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat. Panis est esca, sanguis vita, caro substantia, corpus ecclesia: corpus, propter membrorum in vnum conuenientiam: panis, propter nutrimenti congruentiam: caro, propter assumptæ humanitatis proprietatem. Quàm elegãti gradatione omnem tanti sacramẽti analogiam vim atque effectionem diuus iste percurrit! ne quis hanc interea sibi fingat imaginariam, ac potius ad transsubstantiationem astruendam, prænarratis eiusdem verbis, periodi cuiusquam vice cõmittat

mittat hæc ſequentia: *Panem angelorum ſub ſacramento manducamus in terris, eũdem ſine ſacramento manifeſtiùs edemus in cœlis, nõ myſterio corporali ſæpe repetitis actionibus ad eandem reuertentes, ſed conſummato ſacerdotio noſtro, erit & permanebit perpetua, ſtabilis, implens, & reficiens nos ſufficientia, qua proferet ſe palam, & abſque integumentis omnibus conſpicabilis ſummi præſentia ſacerdotis.* Quaſi diceret, quum defuncti erimus, eodẽ viſibiliter, ſcilicet ea forma, qua Chriſtus in humanis degens à ſuis diſcipulis, cæteríſque Iudæis conſpectus eſt, fruemur in cœlis, quem ſæpius inuiſibiliter & ſacramentaliter, ſub integumentis, id eſt, ſub panis & vini accidentibus, verè manducamus & percipimus in terris. Iam ſatis ingenuo ac cordato cuilibet inducta, euictáque tranſſubſtantiationis perſuaſio. tamen quo pacto ſeſe Vermilius Martyr ab aliis pro ea citatis locis extricet, paucis oſtendamus. Ad hunc igitur Athanaſij locum *Corpus eſt ergo cui dicit, ſede à dextris meis, cuius etiam inimicus fuit diabolus cum malis poteſtatibus & Iudæi & Græci: per quod corpus Pontifex & Apoſtolus, & fuit & di-*

Cypr. ibid.

Vide d. obs. 13.

ctus est, per id quod nobis tradidit mysterium dicens, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, & sanguis noui testamenti, non veteris, qui pro vobis effunditur. Diuinitas enim neque corpus habet, neque sanguinem, sed homo, &c. Ad hunc locum, inquam, leuiter iste excipit, séque vel obiiciēti Gardinero subscribere dicit hactenus, vt cum illo inde colligat Christum assumpta in vtero virginis carne verum hominē fuisse, atque adeò nouæ legis Pontificem & Apostolū dici potuisse, quò eā hæresim oppugnaret, quæ phantasticum Domino corpus tantùm tribuebat. Verùm instanti, Athanasium præterea de eodem vero corpore in mysterio cœnę verbis Domini indicato, traditóque locutum: nempe, replicat, illud idem in cœna mente, fidéque, instar salutaris ad æternam vitam cibi, percipimus. Ad hæc quoque Hesychij verba. *Tum autem Christus in cœna voluntatis suæ nos certos reddidit, verè corpus suum daturus crucifigendum manibus militum, quod propriis manibus in mysterio dedit māducandum. Alia ratione,* inquit, *datum militibus quàm Apostolis: nam à militibus crucifigi non potuit,* *nisi*

Hesych. in cap. 4. Leui.

Obiect. 13.

nisi reipsa & corporaliter inter illorum manus adfuisset. Verùm ab Apostolis in sacramēto & per fidem spiritaliter comedi potest, licet in pane, aut sub eius speciebus non concluderetur, sed loco ab ore comedentium distaret. Consimilem in modum siue tropologeticum, siue hyperbolicum: reliquos iste locos diluit, vt Basilij magni, sacramentalibus illis verbis fidem haberi Paulinæ huic comminationi *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*: tum Epiphanij, hos, qui iisdem verbis, quod alioquin humanis sensibus informe ac inuisibile sit, verum Christi corpus non apprehendant, fide & gratia excidere prorsus asserentiū: denique Ambrosij, non semel in obtusas quamlibet aures immittētis, has, quæ ante consecrationem puræ & putæ panis & vini species sint, cœlestium postea verborum accessione continuò in dominici corporis & sanguinis substantiam cōuerti. Porrò autem Chrisostomi locum quo dicitur nos his Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, tametsi sensus noster deceptu facillimus sit, minimè fraudari posse, cum aliis Hieronymi, Augustini, Cyrilli,

Vide d. obiect. 13.

1. Cor. 11.

Theophili, Oecumenij, Euthymij, Damasceni, & Theophylacti in idipsum recidentibus, ac propterea ab hoc cauillatore in tropicam eandem latebram coniectis locis, silentio transmitterem, ni stolidè gloriaretur diuum illum vel mercede conductum, vt suæ sententiæ astipularetur, non potuisse commodiùs & explanatiùs pro se, ac sibi visus est, dicere his post paulò sequentibus. *Sic & in baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum Dei conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet & renouatio, intelligibile quiddam est. Nam si tu incorporeus esses, nudè ipsa incorporea dona tradidisset tibi: quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Verùm ista, si sapiat, ne teruncio quidem cõduxerit, cum nulla ibidem de elementari & extrinseca conuersione mentio fiat: nec vtrobique, in baptismi scilicet & Eucharistiæ sacramentali virtute, per exteriora significanda sensus fallatur, párque rebus extrinsecis, nempe hinc aqua interiôrem ablutionem, illinc panis & vini accidentibus multorum in vnum cõiunctionem indican-

Vide d. obiect. 13.

Chrisosto. homi. 83. in Matth.

tibus ſymmetria perſpiciatur. Quoad verò ſacramentalem effectum diuerſa vtriuſque inſtituendi ratio, de qua obiter ſuprà. Sed modò pleniùs locum illum enarrando, quem minimè omnium Euſebio Emiſeno (vt interim Garetio latinũ origine ex ſtylo & elocutione coniicienti aſſentiar) puto tribuendum: cum quinta illa de Paſchate, vnde excerptus eſt, homilia, Pelagiani erroris, ferè quinquageſimo ab exceſſu eiuſdem Emiſeni anno, ac circa alterius Euſebij, qui Mediolanẽſi eccleſiæ multa cum probitatis & ingenij laude præfuit, ſuborti, meminerit. Quóque magis iſtum huius homiliæ & cæterarum (quanquam ſub Græci illius Epiſcopi titulo ante quadringentos annos, prout ipſa Gratiani compilatione liquet, editarum) authorem ſuſpicer, facit in primis harum vna de Blãdina Lugdunenſi martyre, ſecundum quam peræquè corroganda eſſe ait, eorum ſuffragia qui in noſtris, ac qui remotiſſimis regionibus pro Chriſti nomine mortem oppetiere. Sed iam cacomartyrem ex integra eiuſdem loci enarratione aliquãto plus effu-

Garet. epiſt. nuncup. lib. de ver. præſen. corporis Chriſti, & 4. claſ. eiuſ.

gij ſibi patere ſperantem audiamus. Sic ergò, inquit, habet Emeſenus. *Et ideo quia corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris:* ohe, ſcilicet quintam illam homiliã enarrator iſte non vidit! imò verò vidiſſe credendus eſt. Quî enim eius, quod tantummodo decretali canoni inſertũ, pro integro Euſebij loco retulit, fragmẽti initio prorſus omiſſas coniunctiones *Has* & *Ideò* diuinaſſet, & tã appoſitè præcedentibus attexuiſſet? Quinetiã duodecimo, quàm eadem hîc cum multis aliis ad geminæ anchoræ inſigne proſtaret, anno, ſuã aduerſus Vintonienſem emiſerat defenſionem. tametſi quid mea refert viderit, necne, de ea parum aut multum detraxerit, dum eo quod protulit cõuictum manifeſtæ impietatis reum peragã? quod Deo dãte facturus ſum, vel ſolo illo fragmento apud æquos, toto præterea contextu apud iniquos iudices: quippe ſumma imis, media extremis conferendo ad hunc qui ſequitur modum. *Magnitudo cœleſtium*, inquit, *beneficiorum anguſtias humanæ mentis excedit: & propterea ità ordinauit diuina prouidentia, vt quod capere in nobis ratio*

C. quia corpus, de conſec. diſt. 2.

Euſeb. homilia 5. de Paſcha.

tio

tio rerum mole victa non poterat, fides deuota conciperet, & intellectum credulitas robusta nutriret. Cum ergò per primam transgreßionem, qua per Adami originem & morte teneremur obnoxii, prospicies ex alto Deus, in quo essemus generi debitores, iuxta qualitatem captiuitatis reparauit munus redemptionis, id est, vt pro debita morte offerret indebitã: quia nec nos habebamus vnde viueremus, nec ille vnde moreretur. Materiam de nostra mortalitate suscepit, vt de suo immortalitate collata mori posset vita pro mortuis. Quàm conuenienter, quisquis ille, à diuina prouidentia, velut in reparando generis humani lapsu mirabili, exorsus est! Scitè admodum debitæ morti indebitam, quasi languenti morbo præsens remedium cum mortalitatis & immortalitatis qualitate & materia conferens: séque inde recipiens, quò veterator modò cæperat, scilicet ad eius, quam Emeseni fuisse putat, homiliæ verba hęc: *Et ideo quia corpus assumptũm ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, vt nobis, in hac die sacramẽtum corporis & sanguinis sui consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in*

P. Martyr parte 1. defens. obiect. 181. *pretium*: Rectissimè Cinglianus hinc agere glossographum incipiens, sacramenti necessitatem à corporis Christi illicò syderibus inferendi absentia colligit: ità tamen vt ab hac rectitudine statim deflectat, loco corporis nudum & gratia vacuum quoddam sacramentũ substituens, quo tantùm oblati pretij memoria, non etiã ipsum Christi corpus colatur. Quid ergò disertè homiliastes quod offerebatur in pretiũ, nimirùm Christum ipsum iugiter coli per mysteriũ ait? Sed hic anguillæ (vt ita dicam) lapsus. Postea enim sycophanta non panem adorari (ceù verò à catholicis transsubstantiationem asserentibus is loquendi mos vsurpetur) verùm ad redẽptionis nostræ pretium, hoc est, ad Christum ipsum per recitationem sanctarum concionum nostram adorationem conuerti subiicit: negãs illis verbis vllam realem & substantialem corporis Christi præsentiam reuinci. Quod quàm impudenter, paulò pòst videbimus. Sequitur, *vt quia quotidiana & indefessa currebat pro hominum salute redẽptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perenis illa*

d. obie. 181.

d. homil. 5.

victima

victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Hìc statuendam periodum, nec postrema verba hæc, *& semper esset in gratia*, vt inde subsequentibus præponantur, esse detrahenda, præter illam homiliarum editionem à Ioanne Gaigneio, in theologis nostris quondã doctissimo Parisiensis Academiæ cancellario procuratam, vel communis literatorum sensus ostendit. nullam tamen hoc nomine vitiligator, quasi decretalis canonis lectionem secutus, mihi dicam impingat: cum vtrãlibet ei sic assensurus sim, nihil vt interea sibi in lucro deputare possit. Atenim singula, iam vt istius inaniis occurratur, discutienda. Inanias voco has imaginarias epulas, quibus lupus famelicum, vtpote legitimis pastoribus subductum, gregem crudeliter enecat, dum redemptionis oblationem in sola gratiarũ actione, siue Cingliana, siue Caluiniana cœna fieri solita, comminiscitur. Quo quid aptius ab eodem quoque sophista, vt plurimũ mera verba funditante, & interim res vetustissimi illius authoris verbis significatas dissimulante, dici potuit? nos

contra victimam in memoria perennem viuere, & in gratia semper præsentem esse intelligimus: quatenus mystico illo sacramento, & passionis Christi memoria iugiter recolitur, & necessaria nobis idẽtidem, quippe per dominici corporis & sanguinis præsentiam recidiuo mortalis peccati morbo medicandis, gratia confertur. *Verè* (addit) *vnica & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Vnde meritò cœlestis confirmat authoritas, Quia caro mea verè est cibus, sanguis meus verè est potus.* Vnicam hostiam author ibidem intelligit, quam leuitica cœna peracta Christus mysticam sui vnius corporis & sanguinis, non aliarum rerum, aut diuersorum ab hoc corporũ, vt olim in leuiticis sacrificiis, oblationẽ instituit, ac suis Apostolis, horúmque successoribus deinceps faciẽdam iniunxit: quam & respectu tanti redemptionis nostræ pretij, in suo eodem corpore cruci visibiliter affixo, constituti, præ taurorum & hircorũ sanguine, quo impossibile erat, vt ait Paulus, peccata auferri, perfectam appellat: adhæc fide æstimandam,

Euseb. ibid. d. homil. 5.

Heb. 10.

dam, non ſpecie, nec exteriore ſenſu, ſed interiore cenſendam affectu admonet. Aliud enim ſuis illis, quæ continuò ſubiicit, Chriſti verbis, non imaginarium, ſed verum in Chriſti carne cibum & ſanguine potum aſtruẽtibus, quàm quod videmus, credere & fateri ſubigimur. Quod & apertiùs idem vetus author oſtẽdit his ſequentibus. *Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author eſt muneris ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit ita dicens: Accipite & edite hoc eſt enim corpus meũ, & ſanctificatione repetita, Accipite & bibite, hic eſt ſanguis meus.* Equidem mihi videre videor excucullatum, cum primum in hũc impegiſſet lapidem, non vnò, quod dicitur, ſed quinque digitis ſcalpẽtem caput. Nec mihi ferè tam moleſtus fuit ſuis perpetuis in Vintoniẽſem & Theologos noſtros cõuitiis, quam iucundus, quòd illis verbis maiorẽ, quàm in aliorum patrũ dictis vnquam inuenerit, hyperbolem eſſe fateatur. excuſandũ tamen Emeſenũ inde putat, quòd, quam

d. homil. 5.

d. obiec. 181.

tantopere exornarat ſpecierum conuerſionem, poſteà cum ea conferat, qua homines ait per nouam generationem in filios Dei, & in ipſum Chriſtum tranſire: hincque non magis mutatã in Euchariſtiæ ſacramento panis & vini, quàm in baptiſmo aquæ ſubſtantiam colligi. Atqui, præter ea quæ ſuperius de vtriuſq; ſacramenti pari per extrinſeca ſignificãdi ſymmetria, tum de diuerſa horum inſtituendorum ratione dicta ſunt, tanti myſtica ſubſtantiæ in illo, quãti qualitatis in hoc faciẽda mutatio, maximè cum ſolius benedictionis vi vtraque cõtingat: vt aper-
d. homil. 5. tè declarant ſequentia hæc. *Ergò ſicut ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorũ, profunda fluctuum, vaſta terrarum, pari potentia in ſpiritalibus ſacramentis verbi præcipit virtus, & ſeruit effectus.* Nam quod, magis improbus quàm ſubtilis & vehemens diſputator, primùm ab hac mundi creatione, tanquam à maiore ad minorem affirmando ductum, quod alioqui claudicaret, elicit argumẽtum: ſiquidem eum qui rei minoris ſit compos, haud ideò maiorem facere

poſſe

posse sequatur, sic accipio, vt interea non quicquid re maius est, alio ęque factu difficili, quod ad mutationẽ attinet, potius habeatur. Verbi gratia re potior est cretę vel saxi in aurum, nõ tamen difficilior ea quæ in plumbũ auri vice fieret mutatio. Interea verò ne (quod impostor ille velle videtur) mundi creationem stupẽdissima illa specierũ in Christi corpus & sanguinẽ mutatione, seu re, seu difficultate maiorẽ fateamur. Quo minus lupo tot vertagis insesso melius vnum quoddam ex nouem (vt vulgariter loquimur) effugiũ pateat his subsequentibus. *Quanta itaque & quam celebranda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur attende: vt & tibi nouum & impoßibile non debeat videri, quòd in Christi substantiam terrena & mortalia commutantur, teipsum, qui iam Christo es regeneratus, interroga. dudũ alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecus mortuus exulabas: subitò initiatus Christi legibus, & salutaribus mysteriis innouatus, in corpus ecclesiæ non videndo, sed credendo transiisti, & de filio perditionis adoptiuus fieri occulta puritate meruisti: in mensura visibili permanens maior factus es* d.homil. 5.

teipso inuisibiliter, sine quantitatis augmento, cum ipse & idem esses, multò aliter fidei processibus extitisti: in exteriore nihil additum est, & totus in interiore homine mutatus es: ac si homo Christi filius & Christus in hominis mente formatus es. Quibus verbis argutatur idem illam, quæ, vel assentiente Gardinero, nō nisi qualitatibus contingere queat, hac eucharistica, quam mutua substātiarum vice fieri dicimus, minorē esse mutationem: ex quo Christi corpus huic instar qualitatis inesse, & accedere fateremur. Rectè ille de qualitatibus mutatis, quoad baptismum: vt neque malè noster qualitatum & substantiarum mutationē vtriusque sacramenti comparatione cōmittere visus. Alioquin, vt ceteros patrum taceam, ridendus Ambrosius, qui in argumentum dominici corporis & sanguinis in eucharistia per specierum mutationem veritatis, non modò diuersarū substantiarum, sed & ęquè difficiles qualitatum conuersiones adfert: Quippe ligno fluminibus Marath, & Iordani immisso tum delapsum securis ferrum ex graui & pōderoso ad suberis similitudinem leue, &

De his qui initiant sanam. cap. 9.

& natatile factum: tum aquarum saporẽ sublata amaritudine versum. At enim huic libentiùs humanas quàm Dei voces audienti, ferè iuxta illud Iudæorum patrum ad Mosem: *Loquere tu nobis & audiemus, & non loquatur nobis Dominus*: huic, inquam, Capernaitæ, durus est Christi de carne sua manducanda, & bibendo suo sanguine sermo. ad metaphoras igitur recurrit, quas & inesse cõtendit singulis his quæ sequuntur verbis. *Sicut ergo sine corporali sensu præterita vilitate deposita, subitò nouam indutus es dignitatem: & sicut hoc quod in te Deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detersit, non oculis sed sensibus tuis credis: ita & tu cum ad reuerendum altare salutari cibo potúque reficiendus accedis, sacrũ Dei tui corpus fide respice, honora, mirare, cordis manu suscipe, & maximè haustu interiore assume.* Per me quidẽ liceat isti, potissimùm in omnibus hyperbolyco, singulis inquam, quibus demum suam eius homiliæ finiuit cõmentationem, spiritalem arguere manducationem. Verùm quatenus inuisibiliter in eucharistia præsentem, nec, vt ait, loco distantẽ Christi corporis & sanguinis man-

Exod. 20.

d homil. 5.

ducamus & bibimus ſubſtantiam. Quo reſpectu fide, minimè id quod abeſt ſiſtente, ſed quod inuiſibiliter adeſt agnoſcente, tantùm ad animæ, non etiam ventris ſatietatem manducamus: nec aliter ſanè ad argumenti prædicti valididitatem comparata intet ſe coirẽt: nimirùm verò Chriſti corpore & ſanguine, quę externis ſignis in euchariſtia ſignificãtur, abſentibus: cũ interea in baptiſmo, aquæ elemento ſignificata, interioris hominis ablutio & emũdatio adeſſet. Nobis porrò in tam æqua & plana via (quod dici ſolet) minimè reſtandum eſt: quinimò detegẽda vel nebulonis ſtupiditas, vel quod magis puto in iis diſſimulãdis, quæ ſuum iugulum rectà peterent, vafricies, his eadem homilia continuò ſequẽtibus. *Quod illius legis manna de quo legitur: Pluit illis mãna vt ederent, hoc vnicuique ſapiebat quod deſideriis concupiiſſet: aliud erat quod ſumebatur, aliud erat quod videbatur, & inuiſibiliter ſapor ille in ſingulorum ſenſibus firmabatur. Ergò illud legis manna cœlitus illapſum, per multimodas ſuauitates naturæ ſuæ meritum, & generis ſui excedebat intuitum: & cum creaturam ſuã diſpenſatio*

d. homil. 5

diſpenſatio largitoris multiplici diuerſitate condiret, præbebat guſtus quod ignorabat aſpectus. Iuxta percipiētis deſiderium eſcæ illi nouitas & dignitas naſcebatur. Vnumquenque variis & alienis ſaporibus reficiebat mellifluum pluuiæ illius donum, & multiplex ſicci imbris obſequiū. Quæ cum ità ſint, quod illîc auiditas faciebat, hîc fides faciat: & ſi in corpore cibus ſapiebat, in pectore Deus credulitate proficiat: ſicut legimus: Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ideo quod ibi delectatio obtinebat in faucibus, hîc benedictio operetur in ſenſibus. Ad cognoſcēdum & percipiendum ſacrificium veri corporis ipſa te roboret potentia conſecrantis. Qui tunc latuit præfiguratus in manna, ſit tibi manifeſtatus in gratia. Ipſum autem fuiſſe in mannæ illius ſpecie præſignatum etiam propheta euidenter oſtendit dicens, Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Et quis panis angelorū eſt, niſi Chriſtus qui eos cibo ſuæ charitatis, & lumine ſuæ claritatis exſatiat?
Enimuerò quod hîc affirmatur mannam euchariſtiæ figuram fuiſſe de eo pulchrè inter Catholicos & hæreticos conuenit. At quam figuram, ſiue vmbram, æquum ſit, prout etiam ab Apoſtolo exēplar veri *Heb. 9.*

dicta est, eius figurato cum omnibus suis qualitatibus (vt consulti nostri loquũtur) respondere. Cæterùm in manna duo eucharistiæ peculiaria videre licet. primùm transsubstantiationis, de qua Villaganon noster eleganter & acutè eo, quem nuper emisit, libello, non paucos ab eius credulitate inde auocari existimans, quòd Eucharistia nullũ carnis & sanguinis saporem, at solummodo gustu, tactu & pondere panem & vinum referat. Huc ergo collato eo scripturæ loco, quo mãnę substantiam ad id quod quisque Iudæorum edere cuperet, olim in Ægypti desertis conuersam fuisse asseritur, is ad rei per se difficilis explicationem eiusmodi ferè dilemmate vtitur. Aut sub niuis & pruinæ accidentibus solidus panis, aliúsve corporeus latebat cibus, aut nõ: si istud, quomodo qui ad solem obdurescere consueuerat panis, ad modicũ solis radium diffluebat? si illud, quî patres illi quadraginta annis niue vel potius aëre ali potuerũt? *Vt scirent*, inquit, *filij tui, quos dilexisti Domine, quoniam non fructus natiuitatis pascunt homines, sed sermo tuus hos qui crediderint in te conser-*

Villag. de paschatis imp. tem. in fine.

Sap. 16.

d. cap. 16.

cōseruat. Fructus natiuitatis eos intelligo, qui nobis alendis natura idonei sunt. Quemadmodum autem verbo Dei sub iisdem accidētibus insipida & ieiuna niuis substantia in sapidam & alibilem alteram olim vertebatur. sic eodem verbo quotidie mortuæ panis & vini species, remanentibus suis accidentibus, in vitalia dominici corporis & sanguinis cibi & potus signa transeunt. Nec verò quod in figura recipitur, id veritati denegandum est. Quin ad suæ impietatis argumētum instanti cuipiā, in hac mannæ figura tantùm gustus, & sic qualitatis mutationem contigisse, vt inde sequatur non substantiam figuratæ rei, tantùm eius, quippe panis & vini ex cōmunibus in sanctas, ceu tanto mysterio destinatas, qualitates conuersas fuisse, simul reclamabunt verba hæc, *Substātia tua ad id quod quisque volebat*, id est, in alterā, quā non extrinseca visus sed intrinseca gust⁹ qualitas referret, speciē, *conuertebatur*. Iam verò quę passim huc afferuntur cōuersionis exempla, aut sunt substantiæ ad substantiā: aut qualitatis ad qualitatē: tertiū substātię ad qualitatē nus

quam inuenias. Neque enim in baptiſmo aquæ ſubſtantia, ſed tantùm qualitas mutatur, vt dictum eſt. at in manna ipſa etiã ſubſtantia in aliam conuerti apertè dicitur. Sed an tunc primùm ros ille coriandri ſemini rotunditate ac magnitudine: gummi, quod aromatarij bdellium vocant, colore: mellitæque ſimilagini guſtu par, cœlo deciderit, magis à percontatiua Hæbreis voce, à qua inditum mannæ

Exo.16.

nomen, coniicere, quàm ipſis ſcripturæ verbis diffinire auſim: cum neque fœlix eius paraphraſtes Ioſephus cœpiſſe ex illo cœlitus decidere, tantùm ſuis inde tẽporibus eadẽ, quibus ij patres inſtiterant, Ægypti loca hoc rore cõpluta fuiſſe ſcribat. Quale etiam Calabris Neapolitanę, & Brannouicenſibus Allobrogicæ Viennenſium ditionis montibus nunc vſuuenire procul dubio eſt. Nec (vt thuris micas, quas Dioſcorides & Plinius mãnam nuncupant, tanquam genere diuerſas omittam) abhorret à ſacris literis, quòd Galenus teſtatur, ſui ſæculi ruſticos in Libano monte Liburniæ expãſis ſuper terram velleribus, excuſſíſque arborum frondibus

Antiq. Iu. lib.3. cap.1.

Dioſco. li.1. cap.83. Pli. lib.12. cap. 14.

Gale. lib.3.

bus huiusmodi mel roscidum colligere,
eóque plena fictilia & ollas domũ referre
solitos fuisse. non quod ante Mosem, &
eo ab humanis exempto secutis, seu Iose-
phi, seu Galeni istísve temporibus, com-
pluisse id genus mãnæ credam, quod vel
mola fractũ, vel mortario tritum, ad mo-
dicum solis radium diffluẽs, nihilosecius *Num.* 11.
excoctum vim ignis sustinebat, olláque *Exod.* 16.
tractum in tortulas oleatum panem sapi-
entes redigebatur: cuique verò collectũ
vltra præscriptum à propheta modũ, aut
in crastinum præter Sabbati diem asser-
uatum computrescebat: tamen Iosephi *d.lib.3.c.1.*
verbis propius accedendo, eousque meã
protrahere libet credulitatem, vt pro tã-
ti miraculi reliquiis exín tota illa Ægy-
pti regio eo mannæ, quò nunc medici va
riè & salubriter vtuntur, genere irrorari:
insuper ad ea quę modo retulimus, atque
alia fortasse quæ ignoramus, loca cœle-
stis manare cęperit benignitas. Ad quam
persuasionem quodammodo cõstanti di-
uinorum miraculorum vestigio in pleris-
que ducor: quorum vnum nuper, vt in-
noxias in Melita nunc in hierosolymita-

norum equitum insula viperas esse intellexi, animo meo obuersatum est: scilicet diuum Paulum illuc appulsum perpetuo miraculo suis hospitibus suffragatum. nã antea noxias fuisse, barbarorum, hoc est,
Acto. 28. incolarum, quippe qui naufragum Apostolum cũ sociis humaniter excepissent, de eodem post excussam, quæ eius digitis inhæsisset, viperam incolumi (qualis non nisi de re insolenti accidere solet) stupor ostendit. Sed de primo mannæ cum eucharistia peculiari satis supérque. Nũc ad secundum, quem quisquis ille Eusebius
d.homil. 5. luculenter mihi expressisse visus est his verbis. *Hunc panem, dicente propheta, sexta die duplum colliges, dum à primo, id est, dominico die in lege tribuitur, & in solo sabbato denegatur: iam tunc Christus ab ecclesia, cui dominicum diem resurrectio consecrauit, recipiendus ostenditur: & synagogæ, ad quam cultus sabbati pertinebat, negandum esse prædicitur, dum dies iste septimus cœlestis panis fraude multatur. De quo pane vetus narrat historia, nec qui plus collegerat amplius, nec qui minus parauerat reperit minus: eò quòd eucharistiæ sacra perceptio, non in quantitate, sed in virtute consistat. Quod corpus*

pus Sacerdote diſpenſante tantum eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto: quod cum eccleſia fidelium ſumit, ſicut plenum in vniuerſis, ità integrũ eſſe probatur in ſingulis. De quo ſenſu Apoſtolica ſententia deriuata eſt, dicens: Qui multa non abundabit: & qui modicum nõ minorabit. Si fortè panes eſurientibus apponeremus, non ex toto perueniret ad ſingulos: quia particulatim & minutatim pro portione ſua vnuſquiſque præſumeret. De hoc verò pane cum aſſumitur, nihilominus habent ſinguli quàm vniuerſi: totũ vnus, totum duo, totum plures ſine diminutione percipiunt: quia benedictio huius ſacramenti ſcit diſtribui, neſcit diſtributione conſumi. Itaque (vt ab hoc homiliaſte eam, qua hebdomadæ ogdoas, id eſt, ſabbatiſmo dominici cultus dies, demum ſucceſſit rationem velut huberius explicatam prætereã) id tum peculiare, tum promiſcuũ mannæ cum euchariſtia, id eſt, exemplari cum vero, fuiſſe conſtat, vt eadem partis, qua totius, vegetandis alumnis vis eſſet, nec hoc plus illa, nec illa minus hoc inſumenti ſuppeteret, minuta quantunlibet mica totius hoſtiæ (vt vulgus loquitur) quoad viuificam euchariſtiæ virtutẽ

instar habente: Quod & enucleatè perscribitur cantatissimis illis diui Thomæ Aquinatis versibus, qui non tam rythmici, cúm numeris poeticis omnino careāt, quam homœoteleutici, nempe (vt illius temporis mos vsque ad auitum tulit) in similem eandémque alternatā vocum positionem atque adeò sonum desinentes, Venusini, quem quisquam optet, lepôris vice diuinam fragrantiam emunctis naribus effundant. quò minus pigeat hos quasi Eusebianis scriptis consentaneos ascribere. Sic igitur vel isto scribendi genere dius poëta: *Sub diuersis speciebus, signis tantùm & non rebus, latent res eximiæ. Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub vtraque specie. A sumente non conscissus, non confractus, non diuisus, integer accipitur. Sumit vnus, sumunt mille, quantū isti, tantū ille, nec sumptus consumitur. Sumūt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus. Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quàm dispar sit exitus. Fracto demum sacramēto, ne vacilles, sed memēto tantū esse sub fragmēto, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, tātùm signi fit fractura, qua nec*

In prosa missæ de sacrament. alta.

status

ſtatus nec ſtatura , ſignati minuitur. Mihi quidem doctor hic, angelicus nõ immeritò dictus, cum ſpecierum nomen non rei, id eſt, ſubſtãtiæ, ad quam vtiquepertinet, ſed ſolis accidẽtibus, quibus res eximiæ, quippe Chriſti corpus & ſanguis, ſignificantur & obteguntur, tribuit: aut diuum Auguſtinum, aut Gręgorium magnum, paſchali quadam homilia ſpecies ſacramentales earũ rerum quę antea fuerant vocabula eſſe dicentem, ſequi viſus eſt. Nec ambigitur vtrunque de reſiduis panis & vini accidentibus, quaſi prioris, quàm penitus exuerint, ſubſtantiæ omnimodam vim retinẽtibus locutum: quæ per ſe, ſeu (vt dialecticorum verbis vtar) ſine ſubiecto, ſic, eadem omnipotentia, qua diuæ virgini abſque virili congreſſu parêre datum eſt, ſubſtant, vt nihilominus communis & naturalis ſubſtantię vicibus fungantur: tanti alioqui ſacramenti fide, vt cui certiſſimum humana ratio pręberet experimentum, nullum magno illo authore meritũ habitura. Niſi enim diu aſſeruatis iis ſpeciebus, puta cõſecrato hinc pani mucor, illinc vino acor ſuc-

Epiſt. 23.

cederet, aut ambobus à quoquam experiundi gratia affatim exhauſtis alēdi virtus abeſſet, tum vero ceſſante rerum non
Heb. 11. apparentium argumēto, ſtatim ab Apoſtolo prodita fidei diffinitio ſubuerteretur: maiórque inde ſurgeret abſurditas ea, quam præmodū delicatæ pietatis iſti, eiuſmodi, non iam ſpecierum, ſed qualitatum, corruptionibus, nullo modo dominici corporis & ſanguinis ſubſtantiam contingentibus, obtendunt. Frangi porrò ſacramentum Thomas hactenus intellexit, quatenus ſolis ſimilaginei cruſti accidentibus indicatum Chriſti corpus in tres partes à Sacerdote iugi miſſæ ſacrificio ſubinde cōſumendū ſecatur: interea vero & ſyncero, nimirū infragili & indiuiſibili ſub harū qualibet in ſolidū manēte. Quod autē ad ſignati ſtaturā, de qua poſteriore verſu, nihilo hac triplici, vel alia quauis fractione imminutam, attinet, vt vno verbo ſectariorum garrulitatē præcidamus, ipſa corporis Chriſti, non ad panis, ſub quo idem latet, modum, ſed ad eius, quæ tota in toto & qualibet huius
d. homil. 5. parte eſt, ſubſtantiam dimenſio referenda

da. Nunc ad homiliastem recurramus. *Sacramẽti huius itaque formam*, inquit, *etiam in Iudæorum paginis inuenimus expressam. Nã de Melchisedech in Genesi legimus: Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum, & benedixit Abrahæ. Melchisedech autẽ fuit sacerdos Dei summi, dum à præputio, id est, à gẽtili circuncisio futura benedicitur, ecclesiæ gloria prædicatur, & Synagogæ infideli plebs ex gentibus adquisita proponitur. Hic ergò Melchisedech, cuius genealogia vel origo notitiam illius tẽporis latuit, oblatione panis & vini hoc Christi sacrificium præsignauit. De quo sic propheta pronuntiat: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Nam & beatus Moses de eo mysterio loquens, vinum & sanguinem sub vna appellatione significat, in benedictione Patriarchæ, dominicam passionem multò ante demonstrantis, ità inquiens: Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Aduerte quàm euidenter vini creaturam Christi sanguine indicarit nuncupandam. Quid adhuc de hac specie inquirere debeas, ipso domino attestante cognosce. Nisi, inquit, manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Quod* d.hom.5.

testimonium contra Pelagij blasphemias euidentissimum atque validissimũ est, qui asserere arrepta impietate præsumit, nõ propter vitam, sed propter regnum cœlorum, baptismũ paruulis conferendum. Sub his enim Dei verbis quibus euangelista pronuntiat: non habebitis vitam in vobis: intelligẽda est omnis anima munere baptismi vacua, non solùm gloria carere, sed vita.
Supra eucharistici sacramenti simul & sacrificij formã in Melchisedecho expressam atque adeo presignatam fuisse diuorum Hieronymi, Augustini, & Eucherij, authoritatibus, quorũ paucas ex aliis veterum infinitis deprompsimus, comprobatum est. Quibus insuper hæc Eusebij, nequaquam Tigurino martyri (quantum hoc immodico eius in suas partes vindicandi studio coniicere licet) vulgaris authoris adiicienda, quo protinus abiecta Caluini sententia desinat arbitrari Melchisedechum, tanquam, annonę structorem, panem & vinum Abrahamo & eius exercitui à prælio redeũti distribuisse: nec potius iis diuino numini benedicẽdo oblatis, qualem vel ratiocinãs ecclesia fuisse profitetur, egisse Pontificem. Enimuerò ab

ab Emeſeno, velut Athanaſij æquali, longè alius hic Euſebius, vel eo mihi maximè viſus eſt, quòd Pelagiani erroris Theodoſio iuniore principatum ineunte ſuborti ſummatim obitérque meminerit, forſitan inde paulò obſcurior habitus, quod prædicta comminatione, *Niſi manducaueritis, &c.* planè ad euchariſtiam pertinente, ceu validiſſimo in baptiſmi cauſſa argumento, fuerit vſus. Quanuis enim ſic ſeſe baptiſmus ad euchariſtiā habeat, ac ſpiritalis vitæ inceptio ad eius perfectionem, non eadem tamen eſt pueris, quæ adultis in re ſacramenti percipiēdi facultas. Rē ſacramenti Aquinas myſtici corporis vnitatem vocat, extra quàm, ſcilicet eccleſiam arca diluuij præfiguratam, nullus ad ſalutē aditus eſt. Itaque quod per ætatem illi nequeunt, iſti ſolò voto in caſu neceſſitatis conſequuntur. Adde diuturno eccleſiæ vſu oſtendi eam comminationē minimè ad pueros etiam baptizatos pertinere, quāquā penè ab ipſo Chriſtianiſmi primordio aliter obſeruatū fuiſſe liquet. Atqui paulò minore ea, qua tunc quoque in ſepeliēdi mortui cuiuſli-

Thom. 3. parte ſumme. qua. 73. art. 3.

Cyp. ſermo. 5. de lapſ.

bet os euchariſtia mittebatur, ſuperſtitione, cum non ſolùm viuentibus ſuíque cōpotibus res vſque ſanctiſſima permittebatur. hoc amplius decedentibus pueris à Pelagio indultum eſt, vt nō baptizatis ſalus ac vita æterna ſolo innocentiæ merito tribueretur: cęterùm eos à regno cœlorum excluderet, quoniam de hoc tantùm non etiam de illa diſertè additum eſſet in altera comminatione cuius verba ſunt. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* *Quaſi*, inquit Auguſtinus, *ſalus & vita æterna poßit eſſe præter Chriſti hæreditatem, præter regnum cœlorum.* Ad hanc igitur impietatem refutādam, fortis admodum viſa eſt illa de non inſumentibus euchariſtiam comminatio iis vitam denegās, de qua ſic Chriſtus: *Et panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Quibus verbis procul dubio & pueri & adulti comprehenduntur, dum modo baptizati, itaque euchariſtię percipiendæ idonei fuerint. Nā etſi pueris ſacramentaliter, donec pubeſcant porrigi, differatur, nihilominus hāc ipſi communi eccleſiæ, veluti pro ſuo membro

Ioan.3.

lib.1. de pec cat. mer. & remiſſ. cap. 26.

membro

membro negocium gerentis, voto percipiunt. De pueris non baptizatis secus dicendũ: cum hi tum suo tum alieno, quippe qui vllius, quod iis suffragari queat, sacramenti sint expertes, voto careant. Sequitur: *Hoc itaque dominici sanguinis vinum aqua miscendum, non solùm traditione dominus sed etiam genere paßionis ostendit: ex cuius sacro latere sanguis & aqua lanceæ illisione profluxit, sicut & Propheta multò antè præcinuit, dicens: Percußit petram & fluxerunt aquæ. Et Apostolus. Bibebãt de consequente eos petra. Vides quod qui de Christi biberit gratia, sequitur cũ Christi misericordia. Sed in Solomone de ipso Deo predictum legimus: Sapientia, inquit, ædificauit sibi domum, id est, corpus hominis assumpsit, in quo habitauit plenitudo diuinitatis: & subdidit columnas septem, quia illum Spiritus sancti gratia septiformis impleuit: mactauit hostias suas, miscuit in cratera vinum suum, & parauit mensam suam. Et in sequenti, venite & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Admixtum ergo vinum aqua legimus.* Atqui miscere verbum simpliciter vino, aut alio quouis poculẽto additum, proprio &, vsitato latinè loquẽtibus mo-

d. quest. 73. art. 3.

d. homil. 5.

do nil aliud, quàm horum aliquod purum merumve porrigere, ſeu bibendum dare ſignificat. Quominus hoc Solomonis & altero ſcripturæ loco argui poſſit, præſignato illic Euchariſtiæ ſacramento exigi, vt vinum aquæ miſceatur: neque ideò tamen Cingliano martyri affirmanti patres abſque verbo & præcepto Chriſti aquam vino miſcuiſſe, puto aſſentiendum, cùm nullum maius præceptum Domini, ipſius traditione colligere poſſis, ſecundũ quod idem Cyprianus Emeſeno, nedum Mediolanẽſi Euſebio, penè ſæculo anterior, quadã ad Cecilium epiſtola illis prophetiæ verbis: *Et bibite vinũ quod miſcui vobis:* vinum aqua mixtum fuiſſe intelligit, ex Domini inquam traditione, hoc eſt, exẽplo ab Apoſtolis, horúmque ſucceſſorib9 quaſi per manus tradito, magis quàm ex ipſa verborũ proprietate. Nec in hoc ſolũmodo (quippe adductis iiſdẽ Solomonis de vino mixto, & Iſaiæ de petra ſciſſa vnde fluxerunt aquæ, tum ſcilicet cũ ex Chriſti latere lancea transfixo ſanguis & aqua profluxit, authoritatibus dominicã illam traditionem comprobãtibus) ſed & in

Defenſ. par. 1. obiec. 178.

Cyp. lib. 2. epiſto. 3. Irenæ. aduerſus hære valen. lib. 3 cap. 3 & 9

in cauſſa vini aqua miſcendi diuus ille huic noſtro homiliaſtæ verbis præiuit, vt videre eſt his ſequẽtibus. *Nunc cauſſam quare vtrúnque dominus miſceri voluerit, inquiramus. Quando in Iudæorum conuiuio nuptiale vinum, id eſt, fides in eis deficiebat, quia vinea fructum negabat, de qua dicitur, Expectaui vt faceret vuas, fecit autem ſpinas, vnde & ſertum ſpineum capiti redemptoris impoſuit. Quando dominus nuptiali tempore, id eſt, quando ſponſus eccleſiæ ſuæ exultatione iungendus aquas in vina conuertit, manifeſtè præfigurabat multitudines gẽtium de ſanguinis ſui gratia eſſe vẽturas. Per aquas enim populos ſignificari ſacris aperitur eloquiis, ſicut legimus, Aquas iſtas quas vidiſti, populi ſunt & gentes, & linguæ. Aduertimus in aquis figuram gentium demonſtrari, in vino autem ſanguinem dominicæ paſſionis oſtendi: ac ſi dum in ſacramentis vino aqua miſcetur Chriſto fidelis populus incorporatur & iungitur, & quadam ei copula perfectæ charitatis vnitur, vt poſſit dicere cum Apoſtolo: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti tribulatio, an anguſtia, an perſequutio? & reliqua. Deus autem homini ſuſcepta ſanctificatione miſcetur, quando fides in ipſo pectore affectu iuſti-*

d.homil.5.

tiæ, misericordiæ & pietatis infunditur. *Suscepta*, inquit, *sanctificatione*. Quasi, contra quam Caluinistæ sentiant, velit solis sacramentis, velut instrumẽtis salutaribus, Deum nobis tum infundi, cum per hæc gratiam ex opere operato (vt theologi nostri loquuntur) collatam totis visceribus amplectimur, de quò posteriùs fortasse. Sed ad Cyprianum eandẽ cum hoc Eusebio concinnandi vini caussam afferentem redeamus Eosdem nanque scripturæ de vîni cum aqua significatione locos citat, in hoc scilicet, vt intelligamus oportere populo Christum, perinde atque vino commixtam aquam, hærere, vt nunquam hæc ab illo separetur: semper itaque calici aquam infundere, & cum vino miscere, ne si sola aqua, aut solum vinum iugi in sacrificio offerretur, hinc populus sine Christo, & Christus sine populo esse significaretur. Quinetiam Aquariis, quos olim vocabant, sola aqua absque vino sacrificãtibus id peruersum præposterúmve ex illo Iudęorũ cõuiuio, quo nõ vini in aquam, sed aquæ in vinum facta fuit conuersio reuincit, tum veteribus prophetiis
de

de domini calice inebriante, ſtola cum amictu in vino. ſeu ſanguine vuæ lota, veſtimẽtis haud ſecus, ac ſi torculari calcata fuiſſent, rubicũdis oſtendi potiores eo in ſacramento vini partes eſſe. Ergò calicẽ egregius ille Aquinas ita cenſuit aqua non roſacea, planè huic myſterio, vt alia quæuis ænea, terreáve tripode ſeu fornacula diſtillata, repugnante, at naturali, inſtar eius quæ ex Chriſti latere profluxit, temperandum, vt hæc in vinum conuertatur, nec in eo eſſe ferè ſentiatur: non vt uiceuerſa vini ſpecies nimia aquæ cõſperſione obruatur:, ſubiiciens quoſdam preſbyteros olim à Iulio Papa reprehenſos, quod lineum pãnum meraco intinctum aſſeruarent, vt aqua, cui ſubinde & particulatim immergebatur modico inde rubore expreſſo colorata, per totum annũ ſacrificarẽt. Sanè tanti, támque exacti in diſſoluendo quouis ſcripturæ nodo doctoris ſenſum mihi propemodum videre videor aſſequutus, nempe eũdem ab hoc myſterio fictitia omnia, qualia pomorum & pyrorum vina, tum fucata quæque vitigenea, vt mulſum, piperatum, myrrhy-

quæſt. 74. art. 7. & 8

num, resinatum, marathrites, mirtidanũ, aromatites, murina, nectar, thymetes, & id genus alia excludere: reliqua verò quę nulla præterquam aquæ mixtione interpolata fuerint, & in his appianum (licet quid aromaticũ, sed interea natiuum referat) cum villo, lora, floco, siquidẽ tribus his superet vini sapor, satiùs quam sapam, aut defrutum, aut mucidum denique vinum (quæ tamen vrgẽte interdum penuria tolerãtur) admittere. Primas autẽ tortiuovino, (vel huic postposito quod sua sponte è cupæ epistomio fluat musto) deferre: cum illo maximè huius sacrificij dominicam passionem repræsentantis figura exprimatur. Nam vt idem Cyprianus eleganter ait, nõ ante Christum pressum, & calcatum eius sanguis, quemadmodum nec vinum nisi botrus ante calcetur & prematur potari potest. Sed enim Vermilius Tuschus à Carthaginensi longe dissimilis martyr, istius verba hæc: *Non potest videri eius sanguis quo redempti & vivificati sumus esse in calice quãdo vinum calici desit*, seu *desit*: (sic enim legendum puto) eò arripit, vt vino in calice secundum nos

l. epist. 3.
lib. epist. 3.
Ibidem.
part. 1. obiect. 175.

nos transſubſtantiato, in hoc itaque eſſe deſinente, dici debeat, ab eodem quoque ſanguinem Chriſti abeſſe: alioquin ipſo penitus interituro, quod in vmbra legis conſiſtit, veritatis organo. Idémque alio obiecto de pane tranſmutato colligit. O' præſtantem logodædalum, ceu non vbique profiteamur, ſic ſpecies in hoc ſacraméto transſubſtantiari, vt interim horum qualitates & accidentia nobis pro viſibili externo & analogico ſigno remaneant. Sed ad homiliaſtem redeamus. *Etiam in hoc ipſo,* inquit, *quod numeroſis tritici granis confici nouimus, vnitatem conſtat aſsignari populorum. Sicut enim frumentum, quod ſolita purgantis ſolicitudine præparatum in candidam ſpeciem molarum labore perficitur, ac per aquam & ignem in vnius panis ſubſtantiam congregatur: ſic variæ gentes diuerſæ'que nationes in vnam fidem conuenientes, vnum de ſe Chriſti corpus efficiunt: & Chriſtianus populus quaſi tritici innumerabilia grana à ſacrilegis nationibus fide purgante atque cribrante diſcernitur: & in vnum, quaſi infidelium lolio pertranſeunte, colligitur: & in duorum teſtamentorum inſtructione, velut frumentum gemino molarum*

part. 1. obie 177.

d. homil. 5.

opere curatum nitescit: & in illam primæ originis dignitatem natiuo candore mutatur: ac per aquam baptismi, vel ignem spiritus sancti, æterni illius panis corpus efficitur. Sicut ergo separari grana ab illius confecti panis adunatione non possunt, & sicut aqua ad propriã redire substantiam iam non potest: sic & fideles quique atque sapientes, qui redemptos se christi sanguine & passione cognoscunt, ita debent quasi inseparabilia membra capiti suo fidei conuersatione, & ardentissima religione sociari: & ab eo non voluntate, non necessitate seiungi, non vlla terrenæ rei ambitione, non denique ipsa possint morte diuelli. Rursus huic Eusebio quodam modo verbis præiuit Cyprianus inquiens, fideli numerosi populi erga Christũ dilectione, & cum eo coniunctione vnum cœlestis panis corpus confici eo modo, quo commolitis multis tritici alteriusve frumenti granis farina exprimitur, ex eáque aqua coagulata, ac tandem igne concocta, vnum naturalis, id est, farracei panis corpus efficitur. Propriam autem eucharistiæ cõficiendæ materiam doctor idem Angelicus in purissimo tritico constituit: ita tameu vt siliginem velut ex semente sterili-

d. epist. 3.

part. 3. sum. q. 74. art. 3.

ſterilibus terris iacto ortã in cauſa neceſſitatis admittat: id, non tam ſuo quàm tẽporis illius, qui etiamnum multos tenet, errore ſiliginem vocans, quod latinis ſecale, noſtratibus detracta litera ſecle dicitur. quamuis ſiligo veteribus penè tritico pretioſior, certè cum tritico alterum adorei farris genus eſſe perhiberetur. Sed &, conſtanti in miſſarum ſolennibus more, vel ſiliginis flore, vel tritici ſimilagine cruſta illa fiunt, quæ poſt modum verbis domini conſecrata in ſanctiſſimum eius corpus conuertuntur. Hordeũ verò cum ſua aſperitate dominicam paſſionem repræſentet, factóque ex eo pane turbas Chriſtus pauerit, tamen ab eccleſia ſuaue ipſius iugum in euchariſtia agnoſcente reiicitur. Itidem ille de zea, quam Itali Speltam nuncupant, affirmat: mirum ad Aquinum ſuum parte Cãpani eius agri, qui ab incolis priſco nomine retento laboriæ vocatur, tanta vbertate & fœlicitate ſoli inoleſcẽtem, vt alica ex ea decocta omnium optima habeatur. Præterea inde tertiũ frumẽti genus ſimplici (quod ipſum alioqui generale eſt) farris nomine

Plin. lib. 18 cap. 8. & 10.

d. art. 3.

Plin. lib. 18 cap. 11.

designatum excluditur. Atqui credide-
lib.1.de re rust.cap.31. rim illîc far pro ea farragine accipi, qua Varrone authore equi & iumenta cętera verno tempore purgantur, & saginantur: ea scilicet quæ Sexto Pompeio ex multis
Antiq. rom. lib.6. satis hordeo, vicia, & leguminibus fit pabuli caussa: quæ Plinio denique recre-
d.li.18.ca.16. mentis farris prædensa seritur. Farris, inquam, à tritico penitus diuersi: Nam si istud cum aliis temerè promiscuéue mandatum terræ in tantum exurgeret, vt eo commolito, & in panem redacto siliginis triticíue cõtinuitas non solueretur, tunc penuria siliginei floris, aut triticeæ similaginis eius vsus minimè foret in eucharistico mysterio repudiandus. Tantùm quæ ab adoreo farre prorsus genere & origine distant, etiam si se multa similitu-
d.art.3. dine cõtingunt, nihilominus ab hoc Aquinate (veluti quæ tam inter sese, quàm canis & lupus, specie diuersa sint, reiiciũtur. Quicquid ergò vel ad siliginem vel ad triticũ spectat, dum modo mola subactum fuerit, eo in mysterio recipiendum, sin aliter reiiciendum. Rectissimè igitur is sibi non videri posse ex amylo, quod amydum

mydum vulgus vocat, euchariſtiam confici, *quia*, inquit, *eſt ex corrupto tritico.* Fit enim amylum non ex molitura, quod & vox græca indicat, ſed ex eiuſdem tritici expreſſo in linteo cremore, eo modo quo Cato docet: quóque indies à muliercculis noſtris nõ in vſum medendi, qualem Plinius refert, ſed ſolùm calanticis, ſtrophiíſue ſuis, quę vel plana, vel reticulata ex ſindone aut alia ſubtili tela texũt, cõtendendis fieri videmus. Hactenus de ſacramenti huius forma, quam luculẽter homiliaſtes, tanquã ſacris paginis expreſſam, hinc in tritico commolito, illinc in vino tortiuo, quò veritati figura reſpondeat, conſtituens, hac velut anacephaleoſi concludit his verbis: *Nec dubitet quiſquam primarias creaturas, nutu potentiæ, præſentia maieſtatis, in dominici corporis tranſire poſſe naturam, cum ipſum hominem videat artificio cæleſtis miſericordiæ Chriſti corpus effectum. Sicut autem quicunque qui ad fidem veniens ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, his verò commemoratis mox exuitur omni fece peccati: ita quando benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus im-*

Lib. de ruſt cap. 86.

Lib. 22. cap 25

d. homel. 5.

ponuntur, antequam inuocatione summi nominis consecrẽtur, substantia illic est panis & vini: post verba autẽ corpus & sanguis est Christi. Paulò pridem Eusebius visibiles creaturas verbo domini in eius corporis & sanguinis substantiam conuerti dixerat: modò verò easdem, quas suo alendi (vt ita dicam) officio primarias appellat, in eiusmet corporis & sanguinis naturã transire ait: atque adeò nomina panis in corpus, & vini in sanguinem sola santificantium verborum interpositione cum rei, quam significant, substantia continẽter mutari: interim substantiæ & naturæ vocabula, quoad assertam harum specierum mutationem, confundens: contra eam regulam quam præposterus iste martyr antiquis patribus fuisse affirmat: scilicet illos naturam vbicunque mutari dixerunt, tãtùm pro rei proprietate non etiam pro substantia vsurpasse. Cuius quidem regulæ mordicus arripiendæ istis præcipua fuit occasio supra discussus ille Cypriani locus, quo panem non effigie sed natura mutari scripserat: quóque lectori cuilibet naturam effigiei, vt substãtiam qualitati,

parte.2.de euch.reg.12

vel

vel materiam formæ opposuisse visus est, cum ad euertendam trãssubstantiationẽ, maximè cupiant ipsi solam nominum sine rebus in eucharistia contingere mutationẽ: quod & ex quodã Ambrosij loco, perperã, pòst vt dicem⁹, intellecto reuincere conantur. Adhuc verò, super vnicũ, quod veteratori in speciem, quasi in mãca, vis eucharisticæ cũ baptismali comparatione patuit effugium, detecta vtriusque sacramẽti symmetria occluseram: retractantem fuste exagitandum censui, nempe his postremis homiliæ verbis. *Quid mirum autem si ea quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere? immò iam minoris videatur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditũ in melius valeat commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia & inuisibilia voluntatis imperio suscitare: cui facile fuit hominem de limi materia figuratum, imaginem etiã suæ diuinitatis induere: cui promptum est eum rursum reuocare de inferis, restituere de perditione, reparare de puluere, de terra in cœlum leuare, de homine angelum facere, corpus humanum conforme corpori suæ claritatis reddere, & fig-* d. homil. 5.

mentum ſuum in regni ſui conſortio ſublimare: Vt qui corpus noſtræ fragilitatis aſſumpſerat, nos in corpus ſuæ immortalitatis aſſumat. Ecce tibi altera ſubſtantiæ ad ſubſtantiam, nec vt prior, quanquam æquè difficilis, qualitatis ad qualitatem, mutationis comparatio, maiore & ipſa cum ſpecierum, tum quarumlibet ex nihilo creatione, tum tenebrarum & lucis viciſſitudine amplificata miraculo. Equidem cum primùm iſtos ſolam nominum, non etiam rerum conuerſionem in euchariſtia aſſerere intellexiſſem, mihi apologi cuiuſdam vice ſuccurrit, quod ridiculum de cupedinario quopiam dudum inaudieram, ſcilicet illum ſtolidè à pauperculo, qui ſe vel ſolo panis eſu pulchrè, nempe ad carniũ quæ in popinali camino torrebãtur, nidorem opſonatum iactitarat, imaginarij huius opſonij pretium repopoſciſſe: cæterùm ab hoc, ſimplici prolatę pecuniæ tinnitu, viciſſim, pari, quod dicitur, moneta ſatiſfactum fuiſſe. Nam quem in panis & vini manducatione (ſi modò huic accedẽtibus Domini verbis ſola nominum, non etiam ſpecierum mutatio contingat) ſe

magis

magis quàm ſimplici horum verborum prolatione fructum relaturos arbitrãtur? Sed enim panis & vini repræſentatione auctam iri fidem eorum quæ recitantur futiles ipſi potius quàm ſubtiles comminiſcuntur? an quia id quod abeſt adeſſe eadem verba mentiuntur? Verùm fidem id, quod alioquin impoſſibile eſt, operari cũ effectu, nec verbo tenus ex Domino didicimus dicente: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit, &c.* Matth. 17. Attamen eo impudentiæ prouectus eſt iſte, vt ſecum ſenſiſſe diuum Ambroſiũ glorietur his verbis, Libr. 4. de Sacra. cap. 3 *Si ergò tãta vis eſt in ſermone domini* IESV, *vt inciperent eſſe quæ non erant, quantò magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur?* Quaſi voluerit ſpecies, quæ prius erant poſt conſecrationẽ, in ſua panis & vini ſubſtantia manere, ſed nihilominus in aliud conuerti. Itaque pſeudomonachus nõ tam zelo quam œſtro percitus *vbi eſt* (exclamat) *portentoſa iſtorum tranſſubſtantiatio?* d. parte 1. obiect. 103. ſubiiciens mutationem quidem diuum illum ſtatui ſſe, ſed ſacramentalem, qua non ſit neceſſe, vt naturæ

absũmãtur, ídque apparêre ex ſimili ibidẽ adducto. *Tu*, inquit ipſe, *eras vetus creatura, poſteaquam cõſecratus es noua creatura eſſe cœpiſti.* Sed illam qualitatis ad qualitatẽ hac ſubſtantiæ ad ſubſtantiam æquè difficilem, nec minus argumentoſam eſſe conuerſionem ſupra oſtendimus. Quàm verò is probè diſſimulat ſequentia eiuſdẽ diui verba hæc, *Ergò didiciſti quod ex pane corpus fiat Chriſti, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis.* Adde horum verborum copulatione, *vt ſint quæ erant, & in aliud commutetur*, nec ſolidam eius rei quæ erat cõuerſionem prohiberi, nec in verbo commutandi generaliter enuntiato quadantenus factam intelligi conuerſionem. *Et hoc*, inquit Guitmundus Auerſanus Archiepiſcopus, *diligenter nota, quia non dixit, vt ſint quod erant, ſed vt ea quæ erant, ſint, ſed aliud quàm erãt. Quod videtur ſentire cum ſubiungit, & in aliud commutetur tanquam ſuam comparationem explicaret ſic. Si ſermo domini IESVS operatorius eſt, vt inciperent eſſe quæ non erant, id eſt, vt eſſent res ex eo quod non erant, id eſt, ex nihilo: quantò magis operatorius eſt*

d. cap. 3.

d. cap. 3.

Libr. 3. de corpore & ſang. Chriſti in euchar. verit.

eſt vt ſint quæ erãt, id eſt. vt ſint iſta, id eſt, corpus & ſanguis ex eis quæ erãt, nõ ex nihilo. Aliter enim iſta cõparatio recte intelligi nõ poteſt. Quæ igitur erãt, id eſt, panis & vinũ, ſunt, ſed nõ ſunt quod erãt, ſed in aliud cõmutata. Quã-uis alias promptũ ſit Lãfranci Cãthuarienſis Archiepiſcopi teſtimonio corruptũ illum Ambroſij locum ſuſpicari ac, proinde verbum *Sint*, cum copulatiua *Et*, ſecundum quod is ſe aliis quibuſdam codicibus comperiſſe profitetur, detrahendum, probabili ad id coniectura, ex altero non diſſimili eiuſdem diui loco, cuius verba ſunt. *Sermo igitur Chriſti qui potuit ex nihilo facere id quod non erat, nón poteſt ea mutare in id quod non erant? non enim minus eſt dare quàm mutare nouas creaturas rebus. Sed quid argumentis vtimur? ſuis vtamur exemplis, & incarnationis aſtruamus myſterij nouitatẽ. Nunquid naturæ vſus præſenſit cum dominus* IESVS *ex Maria naſceretur? Si ordinem quærimus viro fœmina miſta generare non potuit: liquet igitur quod præter naturæ ordinem virgo generauit: & hoc quod cõficimus corpus ex virgine eſt. Quid quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe dominus*

Lib. de euchar. ſacra.

Amb. lib. de his qui initiã. myſt. cap. 9.

IESVS *partus ex virgine*. Quid quæso, ait idem Guitmundus, *melius, quid apertius dictũ quæris? Si enim in sacramento altaris vmbra tantùm & figura dominici corporis essent: quid hîc præter naturam fieret, cum petra non præter naturam, sed potius propter naturam suæ stabilitatis, & agnus nõ præter naturam, sed per suam naturam, id est, per suam innocentiam, & similiter cætera, Christum figurent?* Hæc ille in sui temporis, quales nunc Cingliani & Caluiniani, vmbraticos. Iã verò vt suo, quod dicitur, sorex pereat indicio, saltem illa Ambrosij locutione, *Quod ex pane corpus fiat Christi*, secundum istum fatendum erit statim ab ipsa consecratione panis substantiã abiici. Sic enim de sacerdotis precationibus in vtraque Basilij & Chrysostomi liturgia contentis per locum à contrariis arguens. *Contra Inconstantiũ*, inquit, *id in primis facit, quod in vtraque legitur panem fieri corpus Christi, non autem, vt iste vult, illud ex pane fieri. Sacerdos enim orat, non vt substantia panis abiiciatur, sed vt panis ipse manens integer efficiatur corpus Christi.* quasi dicat, corporis sacramentum sine corpore id est, re sacramenti consistere: Re, inquam, dupliciter

d.lib.3.

d.obiec.103

citer

citer suo sacramento tanquam symbolo, scilicet in vero Christi corpore & mystico, quod est ecclesia, significata. At iste nō modo intellectu (vt interdū catholici cōmodioris doctrinę gratia faciunt) verū etiā actu rem sacramēti ab ipso sacramento abstraxit: Berengarij Turonensis, vel potius Bertrami errorem secutus. Huius enim veteris presbyteri de corpore & sanguine domini libellum septingentos circiter annos Carolo Caluo Imperatori dicatum, fortè in illius Andegauensis ecclesiæ diaconi manus incidisse vt suspicer, facit posterior ipsius corā Gregorio septimo facta, vtique priore, altera, quam coram Nicolao quarto ediderat, plenior recātatio: horum, inquam, recātatio quæ eodem libello asserūtur, nempe mystico aliud, ipso quod de Maria natū, passum, mortuum & sepultū est, quódque resurgens & cælos ascendens ad dexteram patris considet, eucharistiæ subesse corpus. Antiqui porrò scriptoris, suo alioqui, tum pore non indiserti, cum oscitationē tam socordiam subit admirari, quippe nō adnimaduertentis his Christi verbis, *Hoc est*

Vide Garet classe. 8.

corpus meum, quod pro vobis tradetur, ceu verò natiuitatem, mortem, paſſionem, & quæcunque viſibili in corpore fatalia acciderunt minimè comprehendi, proinde aſſerentis ab conſecratarũ panis & vini ſpecierum ſapore, guſtu, odore, & colore myſticum, hoc eſt, ſub horum accidentibus occultatum Chriſti corpus à vero & incarnato longè aliud eſſe: cum ſibi ipſe paulò pòſt repugnãs illas ſpecies in dominici corporis & ſanguinis ſubſtãtiam cõuerſas verè per myſterium à credentibus ſumi profiteatur. Vana igitur e-rat prius ab illo facta myſtici à verò, corporalis à ſpiritali Chriſti corpore diſtinctio: cum non minus myſtico verum, ſpiritali corporale, & inuiſibili inſit viſibile: quàm cum (vt Platonis inconſpicuũ conuerſa ad palmam annuli pala Gygem omittam) Chriſtus duobus diſcipulis medius, in Emaunte recumbens, fracto pane ſubitò ex eorum oculis euanuit. Huic vni igitur accepto ferenda ſunt ea eccleſiæ vulnera, quæ ſacroſanctis Vercellenſi, Turonenſi, & Romano conciliis iamdiu, obducta, nunc autem libello eodem

lib. 2. de rep Cic. lib. 3. de officiis.

Luc. 24.

paſſim

passim euulgato refricata acerbissimè recrudescunt. Quanuis enim duo illi Archiepiscopi cum diuo Algero Cluniacēsi monacho, fortissimi eius perfidiæ oppugnatores, nusquam suis illis scriptis Bertrami meminerint, ac sua spicula in solū Berengarium velut hæresiarcham contorserint, nihilominus Auersano parum doctrinæ & acuminis Diacono illi fuisse attestante, crediderim suopte nutu vanū hominem in furto alieni operis, quod penes se vnum fortasse tunc esset, magnum pro laude dedecus subiisse: cum aliàs eius imperitiam fluxa, nimirùm bis abiurantis (quod vix sectario cuiquam acciderit) fides detegat. Quò fit vt illius Imperatoris iussu eundem libellum catholicis monētibus continuò suppressum fuisse coniiciam: maximè cum per duo ferè sæcula (quantum historica seriè colligitur) contentum in eo, ac velut in Pandoræ pyxide occlusum, virus resederit: nec id ante Leonis noni Pontificatum ab indocto & vecordi illo fuerit effusum. Vtcūque post aliquot sæculis prodito eo sub Bertrami nomine libello, simul eius hæresis, quæ

d. lib 1. de sacram.

diu Berengariana ab eius ventilatore dicta est, proditus author. Quisquis enim eum Bertrami libellum attentè legerit, ab eo proculdubio media illa ac speciosa verba quæ veritatem dominici corporis prorsus diuellerent, Cinglianis iuxta ac Caluinianis suppeditata, indéque tetertimam nunc hæresim quæ patibulo olim affixam Christi carnem, vt verã & naturalem, ab ea quæ eucharistico mysterio subest distinguit, architectatum fuisse cognoscat: hanc enim non specie, sed sacramẽto & virtute tantùm, carnem esse eousque affirmat, vt in deserto mannam, & aquam de petra, tanto antè quam Christus pateretur tempore, in suam carnem & suum sanguinem efficaciter & sacramentaliter conuersam fuisse contendat: quãuis longè post, & caro illius in cruce pro nobis affigẽda, & sanguis eius in ablutionem nostram fundendus superesset.
part.1. obie. 255. Gardinero itaque Bertrami, velut hæreticorum impudẽtissimi authoritatẽ meritò defugienti, ridiculè eandem apostata cõtra, à vetustate, quasi non eo alij antiquiores hęresiarchæ fuerint, commendat

dat. Per me quidem liceat isti discipulo illum præceptorem, huicque similes quos libet amplecti, modò ne, quod in Gelasio primo conatur, pontificium culmen hæreticæ prauitatis insimulet: cuius longa tot Petri successorum serie primam illam sedem expertē fuisse Stanislaus Hosius, tūc quum scriberet dignissimus Varmiensis Episcopus nunc etiam reuerendissimus S. R. E. Cardinalis eleganter ostendit. Verba autem Gelasij quibus is Luteranis magis quam Cinglianis aut Caluinianis, vt ita dicam, pappare visus est, hęc sunt, *Certè sacramēta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi diuina res est, propter quod & per eadē diuinæ efficimur consortes naturæ: & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini: & certè imago vel similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebratur. Satis ergò nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo sentiendum, quod in ipsius imagine profitemur, celebramus & sumimus: & sicut hæc in diuinam trāseunt spiritu sancto operante substantiam, permanent tamen in proprietate suæ naturæ: sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficien-*

lib. 2. de legit iudicib. rerum ecclesiast.

Gelasius li. de duab. natur. in Christo.

tiam veritatémque veraciter repreſentant, ex iis quibus conſtat proprie permanentibus vnum Chriſtum, quoniam integrum verúmque permanere demonſtrat. Quibus verbis illum naturam panis pro eius ſubſtantia poſuiſſe Vermilius ait, vt æquè panis ſubſtantiam in euchariſtia, ac humanam naturam in Chriſto manere tanti pontificis authoritate reuinceret. Verùm vt obſcurum per ſe locum repetita paulò altiùs vetuſtate enarrem. Neſtorio quondam Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopo duas in chriſto naturas animaduertenti viſum eſt duas quoque perſonas diuinam ſcilicet & humanam ſeorſim conſtituendas, ſic vt Chriſtum ſolummodo hominem, ſed θεοφόρον eſſe diceret: qui error ſtatim Epheſino Concilio damnatus cõtrarium huic errorem excitauit. Siquidem Eutyches Conſtantinopolitanus Abbas illius tum recentis Cõcilij authoritate adductus, vnam duntaxat in Chriſto ex duabus naturis perſonam cõſtituebat, ità tamen, vt poſtea Chriſti carnem in diuinitatem conuerſam fuiſſe, atque adeò duas illas naturas in vnam coaluiſſe profiteretur,

d. reg. 12. de eucha. part. 2.

tur. Contrà verò Chalcedonẽsi concilio visum, quippe nullam vnius harum naturæ in alteram cõuersionem, tantùm duarũ vnionẽ seu, vt Gelasij verbis vtar, vnitionẽ. simul in ipso virginis sacrę cõceptu atque domini exortu factã: *Qui*, inquit, *in visceribus intactæ matris cessante terreni patris officio diuina sumpsit operatione principiũ: materiam cõditionis humanæ de genitricis substantia constituens, & vnitionem diuinæ potentiæ dignatione suæ maiestatis impartiẽs, vt vtriusque naturæ ineffabilis vnitio ab ipso suæ conceptionis exortu mirabiliter ac potẽter existeret.* & paulò pòst, *nec illic aliqua præueniẽte substantia perfectio vnitionis accesserit, sed ab vnitione perfecta potius vtriusque substantiæ fuerit inchoatum. Sicut angelus dicenti venerandæ virgini, cum de gloriosa sobole futura cognosceret, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? respondens dixit, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altißimi obumbrabit tibi: ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Ex te nascetur, ait, vt proprietatem de matre sumendam nostræ conditionis exprimeret: & sanctum, quoniam sine contagione carnalis concupiscentiæ gigneretur,*

d. libr. de duab. nat. in Christo in princip.

vocabitur filius Dei, vt simul humanæ diuinæque naturæ hac ipsa conceptione, sicut dictũ est, mirabiliter vniendum proderet sacramentum; secundum quod scriptum est, Et verbum caro factum est. Iam verò istis quasi, ab eodẽ Gelasio prænarratis, si eiusdem illam de eucharistia cum incarnationis mysterio cõparationem contulerimus, facilè Vermilij speciosum quamuis argumentũ dilua-

1. reg. 12. mus. Quinetiam inde colligenti panis substantiam in eucharistia manere, nec eam (vt de humana in Christo natura tãquam ex coniunctione diuinæ substantię euanescente Eutyches delirabat) verbis sacramentalibus annihilari: nihil enim Gelasium, nisi panis naturã pro eius substantia posuisset, aduersus Eutychetẽ conclusurum: præterquam quod argumento illo Cinglianus iste, Luteranis suis hostibus planè suffragaretur, ex cãtatissima

De Trinit. lib. 8. illa diui Hilarij regula, *Omnis comparatio ad intelligentiæ formam præsumenda est, vt id de quo agitur secundum propositum assequamur:* liquet illa comparatione secundum propositum dominicæ incarnationis exemplum Gelasium ostendere voluisse

luisse duas eucharistiæ res subesse, quarũ vna excellentior ab inferiore altera, hoc est res sacramẽti à sacramento, quemadmodum in illo dominicæ incarnationis mysterio diuina ab humana Christi natura occuleretur. In eucharistia itaque rẽ sacramenti, quippe ipsum Christi corpus sacramento, id est, panis & vini accidentibus planè horum naturam, quanuis ea diuinitati locum trãsmutata cessisset, cum ad mysterij quod ibi geritur significationem, tum ad fidei, vt dixi, meritum referentibus occultari: cum ex aduerso, naturæ seu substãtiæ vox eo Gelasij loco, si mordicus arriperetur, à proposito incarnationis exemplo lõgè differret: cum eodem duæ tantum naturæ, diuina scilicet & humana proponantur: subiecta verò eucharistiæ similitudine pro absoluta illa naturæ, & substantiæ vocum acceptione, noua & inaudita hypostasis ex tribus naturis conflaretur, quarum duæ in re sacramenti essent: tertia in sacramento seorsim, vt dictum est, sumpto, quæ vitalibus illis mortua & inanimata insuper accederet, ac mysticas easdem analogi-

co velut inuolucro cõtegeret : ac ne tum quidem perfecta, qualis in incarnatione, vnitio esset, illic nimirùm, altera alteram præueniente, quatenus mortuæ ex ſpecies ante, nec in ipſo conſecrationis momento creatæ ſunt, peracto etiam ſacramento, id eſt, noſtro, aut conſecrantis ore aſſumpta euchariſtia, aliquanto poſt inde, quaſi digeſto naturali cibo, potúque à diuinis illis rebus abſcedentes euaneſcunt. Quod de duabus in Chriſto naturis omnino nefas ſit cogitare. Ab ipſo enim dominicæ conceptionis exortu ita humanitati cõiuncta eſt diuinitas, vt hæc illam nũquã deſeruerit, aut poſtea deſertura ſit: quin mortuo ac tumulato Chriſti corpore, hæc ex inferis reuocatam ipſius animã in idem reduxit, vt ſe potuiſſe
Ioan. 10. prædixerat his verbis, *Propterea me diligit pater, quia ego pono animã meã, vt iterũ ſumã eam. nemo tollit eam à me, ſed ego pono à meipſo. poteſtatẽ habeo ponendi, & poteſtatem habeo iterum ſumẽdi eam.* Quo loco Chriſtus de diuinitate ab illo virginis conceptu corpori ſuo inſeparabiliter coniuncta loqui intelligendus eſt: ſcilicet hoc illa imbutum

butum esse, non secus quàm igne imbuta candens ferri lamina. Itaque pendētem in cruce Dominum vltro animam posuisse, seu, vt euangelistæ verbis vtar, tradidisse credendum est. Pro quo etiam facit illa Pōtij Pilati, quòd is tam citò obiisset, admiratio. Minimè verò mirādum illum à seipso animam posuisse & resumpsisse, in quo, vt sæpe dictum est, omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat. Tū Nysseno scribenti exanime illud corpus discipulis efficaciter, vt vita potirentur, tradi potuisse, assentiendum est: licet enim in triduo illo mortis anima Christi ab eius corpore separata fuerit, neutrum tamē separatum fuisse à persona filij Dei diuus ille Thomas ostendit: totum Christum in sepulchro, totum in inferno, nimirùm tota illa filij persona hinc animæ, illinc corpori vnita. vtrobique enim naturali Christi præsentia opus fuit, videlicet eius & corpore in terris, vnde tādem electorum corpora humi depressa resurgerent, ac sursum veherētur: & anima in inferis, qua sanctorum quoque patrū animæ illìc limbo inclusæ eriperen-

Marc. 15.

Vide vil. lag. in refutatione 25. propositionis aduersus illati sang. poculum.

part. 3. quæ. 52. art. 3.

tur, & ad cœlestia regna euaderẽt. Limbum autem pro Abrahæ sinu, de quo Lucas euangelista, theologica schola iamdiu vsurpauit. *Sed hæc fabula*, ait Caluin⁹, *tametsi magnos authores habet, & hodie quoque à multis seriò pro veritate defenditur, nihil tamen quàm fabula est. nam cõcludere in carcere mortuorum animas puerile est. Christi autem animã illuc descendere vt eas manumitteret, quid opus fuit?* Petri verò locum, quo mortui Christi spiritum ad eos qui in carcere erãt spiritus venisse, & eis prædicasse dicitur, licet ad Christi in inferos descẽsum diuus Athanasius ad Epitectum scribens referat, Caluino tamẽ nõ aliò spectare quàm vt animas fidelium qui ante id tẽpus defuncti fuerant eiusdem nobiscum, quàm Christi passio operata est, gratiæ, consortes fuisse, dicenti nõ admodum reluctarer: præsertim cum in eius loci interpretatione Augustinus ad Euodium scribẽs fluctuauerit: nisi huc perperam à nostris tracta fuisse testimonia diceret, quibus tamẽ nihil aliud significari cõtendit, quàm populum è captiuitate Babylonica, quasi è profundis inferis eductum ac liberatũ fuisse.

Luc.16.

lib.2. insti. cap.16. art. 9.

1 Petri.3.

Epist.99.

Zac.9.

fuiſſe, Quorſum igitur illa vinctorum de lacu emiſſio in teſtamenti ſanguine fuit, nẽpe vt victo per Chriſti paſſionem diabolo, vt ait idem Aquinas, piorũ animæ ex infernali carcere eriperẽtur, ideóque portas æreas & vectes ferreos confringeret, principatus & poteſtates expoliaret, ac palàm de illis triumphans confidẽter traduceret, his denique Dauidicum illud occineret, *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. hoc eſt vt ipſe doctor angelicus poſt gloſſographũ interpretatur, veſtra principes infernorum, quę hucuſque ſanctos patres illîc detinuit, faceſſat poteſtas: & ſic *in nomine* IESV *omne genu flectatur*, nõ ſolum cæleſtium & terreſtrium, ſed & infernorum. Fuit ergò glorioſus Chriſti, tanquam victoris ad inferos, ſcilicet extra habitabilẽ mortalibus orbem, deſcẽſus: quem tamen inſignis nebulo, vel patibulo crucis incluſum, adeo triſtem & miſerãdum fingit, vt illîc Dominum eoſdem non modò in corpore ſed & in anima diros damnati & perditi hominis cruciatus pertuliſſe dicat: háncque non mo-

d. queſt. 57 art. 1.
Pſal. 106.
Colo. 2.
Pſal. 23.
d. queſt. 52 art. 1.
Philip. 3.

dò ſanctam & piam, ſed plenam quoque eximię conſolationis expoſitionam, ſe ex verbo Dei protuliſſe gloriatur. Verùm *ſepoſita*, addit, *ſymboli ratione*: quidni *ſepoſita*? cum ſecundum eam Chriſtum prius paſſum quàm mortuum & ſepultum fuiſſe conſtet. Neque enim ſatis eſt illi incudem ex Chriſti dorſo ſupra quod peccatores, vt cecinit propheta, fabricarét, feciſſe niſi inſuper animam Chriſti inferni doloribus cum ſceleratiſſimo quoque detruderet. *Nihil actum erat*, inquit, *ſi corporea tantum morte defunctus fuiſſet Chriſtus, ſed operæ ſimul pretium erat, vt diuinæ vltionis ſeueritatem ſentiret, quò & iræ ipſius intercederet, & ſatisfaceret iuſto iudicio, vnde etiam eum oportuit, cum inferorum copiis, æternæque mortis horrore, quaſi conſertis manibus luctari*. Enimuerò quæ huic ſententiæ aſtipulari maximè videntur Dauidis verba hæc: *Quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit* exponens Auguſtinus, *Audemúſne*, inquit *dicere animam Chriſti impletam malis, cum illa paßionis afflictio in carne valuerit, quicquid valuerit*: & paulò pòſt, *Nõ enim vitiis, per quæ homini*

Pſal. 128.

d. cap. 16. *art.* 10.

Aug. in Pſal. 87.

hominì dominetur iniquitas, animā illā repletā possumus dicere: sed fortè doloribus, quibus anima suæ carni in paßione compatitur. Non enim vel ipse qui dicitur corporis dolor, potest esse sine anima, quē ineuitabiliter imminentem præcedit mæstitia, quæ solius animæ dolor est. Sed & quo suũ ille errorē iure vel iniuria tueat̃, huic valde contraria Petri Apostoli de Christo verba hæc: *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impoßibile erat teneri illum ab eo*, peruertens, addit, *Christum in locum sceleratorum sponsorem, vadem, adeòque instar rei submissum, qui dependeret ac persolueret omnes, quæ ab illis expetendæ erant, pœnas: hoc vno duntaxat excepto, quòd doloribus mortis non poterat detineri. Ergo si ad inferos descēdisse dicitur, nihil mirum est, quum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.* & aliquantò pòst, *hoc sensu dicit Petrus Christum resurrexisse solutis mortis doloribus, à quibus impoßibile erat ipsum teneri, vel superari: non simpliciter nominat mortem, sed filium Dei implicitum fuisse doloribus exprimit, quos parit maledictio & ira Dei, quæ origo mortis est.* Maluit scripturæ vorborum fidus relator vel potius inuersor, ne eo loco vsque ad-

Act. 2.

d. art. 10.

d. cap. 16. art. 11.

deò premeretur, pro germana illa inferni mortis vocem ſubſtituere. Verùm his opponendus alter Auguſtini locus. *Et dominum quidem carne*, inquit, *mortificatum venisse in infernum ſatis conſtat. Neque enim contradici poteſt, vel prophetiæ quæ dixit: Quoniam non derelinques animam meam in inferno. Quod ne aliter quiſquam ſapere auderet in actibus Apoſtolorum idem Petrus exponit: vel eiuſdem Petri illis verbis, quibus eum aſſerit ſoluiſſe inferni dolores, in quibus impoßibile erat illum teneri. Quis ergo niſi infidelis negauerit fuiſſe ad inferos Chriſtum? Quod ſi mouet aliquem quemadmodum accipiendum ſit inferni ab illo ſolutos dolores: neque enim cœperat in eis eſſe tanquam in vinculis, & ſic eos ſoluit tanquam ſi cathenas ſoluiſſet, quibus fuerat alligatus, facilè eſt intelligere, ſic eos ſolutos fuiſſe, quemadmodũ ſolui poſſunt laquei venantium, ne teneant, non quia tenuerunt. Poteſt & ſic, vt eos dolores eum ſoluiſſe credamus, quibus teneri ipſe nõ poterat, ſed quibus alij tenebantur, quos ille nouerat liberandos.* Cæterùm cõmuni eccleſiæ ſenſu repudiato ſic à verbo Dei ſuam iſte expoſitionẽ mutuatus eſt, vt nouiter & impropriè ſumpta verbi tenendi pro ſuperandi ſignifi-

d. Epiſt. 99

catione, altero æquiuoco, seu homonymo soluendi pro luendi seu satisfaciendi verbo abuteretur: ac ita Christum solutis doloribus inferni, id est, postquam eius anima in cruce dira pro nobis supplicia quasi à dęmonibus torta expendisset, surrexisse intelligat: quòd iis doloribus illũ porrò superari impossibile esset: cum si proprio & germano sensu ibi solutũ pro libero exorte, vel immuni doloribus intelligeremus, nemini dubium foret eum non ita dici potuisse, qui iis detentus aliquando fuisset. Nõ igitur propiciatorius, seu (vt schola loquitur) purgatorius, sed tantùm in dominicæ passionis virtute liberatorius fuit Christi ad inferos descensus: quo scilicet patrum antea defunctorum animæ, vel in limbo illo, communi originis, vel in purgatorio personali, id est singulari cuiusque, siquidem illîc huius temporali pœna perfunctę fuissent, vitio liberarentur. Nam quod Paulus de Christo, *Vna*, inquit, *oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos*, id ad vniuersalem passionis dominicæ vim, qua quicũque baptismi sacramento velut instru- *Hebr.10.*

mẽto sanctificati sunt, ab omni nõ solùm originis labe, sed & delicti pœna liberantur, referendũ est. Nobis autem post baptismum, aut patribus illis post circuncisionem, quę in veteri lege baptismatis vicem, vtpote ad ipsum crucis meritum retrotrahendam, obtinebat, peccato lapsis, cum inde prorsus ab illa generali & hubere gratia exciderimus, ad singulare Eucharistiæ, quę iugi sacrificio cõficitur, remedium, sed præeunte pœnitẽtia recurrendum: cum morientibus in sacri illius cibi dignè percepti, quasi salutaris viatici fortitudine rectus sit vsque ad montẽ
Reg.3.ca.8. Dei Oreb, hoc est, ad cœlestem patriam cursus: modò dignos hoc sæculo, cum iusta operum satisfactione pœnitentiæ fructus ediderint: non ad eam, tametsi intus & cordis contritioue, & oris confessione emaculati, ante euasuri, quàm nouissimũ in purgatorio quadrantem exoluerint.

d.quæst.52. art.8. Quod Aquinati vsque adeò verum est, vt eiusmodi reliquatores illo Christi ad inferos descensu tantùm (vt ipsius verbis loquar) exclusione à gloria, nõ etiam reatu à pœna liberatos fuisse constanter affirmet.

met. Sed is mihi purgatorio, quod minimè aditurus erat, crucis meritũ euacuari obiiciet, qui non erubuit contra tot authorum, quos vtique magnos fuisse fatetur, sententiam, eum, quo sanctorum patrum animę Christi ad inferos descẽsum præstolantes conclusæ fuerant, locum fabulæ instar habere. huiccíne (vt Athanasium, eò carcerem illum, cuius meminit Petrus, referentem, omittam) Christus cum à tormentorum loco Abrahæ sinum ingenti miniméque peruio licet aerio & pellucenti, caho distinguit, fabulari visus est? Hũc ergo theologi nostri passim, nec inscité limbum, quasi vacuam doloribus inferorum oram, siue extremitatem nuncuparunt: tum quidem rectissimè rati defunctorum quorumlibet animas trifariã disclusas fuisse. Nunc verò liberatis eorũdem patrum animabus, duo tantùm ergastula esse: quorum vno damnatorum æterno temporale alterum accedat, quo quasi sequestre, ij reliquatores merita cõmissis supplicia luentes, tantisper interrupto ad superos cursu, diuertant, multis scripturæ locis comprobarunt. Quos ta-

Luc. 16.

men ita frigidè , quippe ſuo ſenſu arbitrióque, nihil huc conſpirantes veterum quotquot authorũ interpretationes moratus, diluit impius ille, vt quadam veri ſpecie magis luſcioſis, quàm oculatis impoſuiſſe videatur: cuiuſmodi ſi quos fortè habuit diſcipulos, ſtatim eos ab hac opinione deſcituros fuiſſe arbitrer, ſi doctiſſimæ Vigorij noſtri aliquando in maiore hu9 vrbis baſilica de purgatorio habitę concioni, qua illum huc claſſicorum quotquot authorũ enarrationes memini pulchro ordine, nempe ſeruata cuiuſque horum vetuſtatis prærogatiua, contuliſſe, ſedulò aſtitiſſent. Vtcunque mirari ſubit hominis in eo vecordiam, quòd catholica de eodem purgatorio, ceu exitiali Satanæ commento, perſuaſione paſſionis meritum euacuari dicat: ſolámque humano generi à culpa ſimul & pœna liberando, incudis illius, quam Chriſti, vel in dorſo ſceleratorum malleis contuſo, tortáve à dæmonibus anima cõminiſcitur, tum prius accepti, quo velut illa omnia vltrò expiata ſunt, baptiſmi, ſufficere recordationem. Nobis quidem dominicæ

cæ passionis vim longè latéque patere, ab eáque sacramenta omnia defluxisse prolixè fatentibus, tamē indulgentissimo ipsius, vt ita dicam, iubileo, post baptismū lapsis antiquato, nullus ad illud sine opere satisfactorio regressus est. Quid tu, quisquis es hominum, parum esse putas summum creditorem ingens, nec æterna morte minus debitum semel & gratuitò pro te expendisse? ac postquam denuò idem contraxisti, non aliter iustum illum esse censes, nisi perpetuò remittat? porrò illiberalē si abs te vllam tenuis census in eo dissoluendo collationem, seu, vt theologi nostri loquuntur, cooperationē exigat? Nec verò temerè cuiquam symbolicum de descēsu ad inferos articulū cū hoc pręcipuo Sacramento, velut supplendis illius vicibus post gloriosum Domini in cœlos ascensum subrogato, præsertim eādem in vtroque caussam & necessitatem animaduertenti contulisse videbor: Quandoquidem fidelium tam in nostra quàm veteri lege defunctorum animabus, corporibúsve sursum attollendis, vel aperta in terris & inferis, vel my-

ſtica in Euchariſtia Chriſti corporis & animę, ſaltē quibus frui licebit, præſentia fuerit opus, Cui⁹ rei etiā ab heretico quāuis pertinace, ſed nonnunquam ſecū noſtrę omniū redēptionis in Emanuele myſteriū reputante, tacitā eius, quod de dominici in Euchariſtia corporis & ſanguinis veritate diuus Hilarius ait ſcilicet his verbis, *Hoc eſt corpus meū*, nullū de ea re relictū ambigēdi locum, expreſſeris confeſſionem. Et quidem, ne verba de verbis trahendo longiùs excurram, quiſquis ille Gelaſius (cum horum, quæ prænarrauimus, verborum, alius eiuſdem nominis à Romano, quippe Cęſariēſis Epiſcopus, cuius & Hieronymus in catalogo meminit, author aſſeratur) puram putā in Euchariſtia, id eſt, nulli rei mortuæ admixtam Chriſti corporis & ſanguinis ſubſtātiam apertè profiteri tum viſus eſt, quum per eam *diuinæ*, inquit, *cōſortes efficimur naturæ*. Quod enim ſequitur in ea non deſinere ſubſtantiam vel naturam panis & vini, ad inde proxima hæc, *Et certè imago vel ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebratur*, referendum eſt,

li. 8. de trinit.

Melchior Canus de loc. theolog.

eſt, hactenus vt intelligamus ibi non deſinere panis & vini ſubſtãtiam, quatenus harum qualitates & accidẽtia, illa ipſa in diuinam alteram, ideſt, in dominicũ corpus & ſanguinẽ tranſeunte, ſuam nihilominus alendi corporis humani vim retinent: atque ita, vt idem paulò poſt ait, *permanent in ſuæ proprietate naturæ*: qua nimirùm imago & ſimilitudo Chriſti, videlicet myſterio obuoluta, principali eius alendis, confouendis, & in vnum ſociandis fidelibus efficacia, veraciter repręſentetur. Aliter enim acceptis Gelaſij verbis (præter hinc iam, vt dixi, nouam eiúſque propoſito repugnãtem trium naturarum hypoſtaſim) quid abſurdiùs, quàm in Euchariſtia comminiſci ſimul eandem, ſcilicet antè & poſt conſecrationem, abeſſe & adeſſe panis & vini ſubſtantiam? Proinde alio & catholico ſenſu accipienda ſunt Chryſoſtomi, vt aiunt (nam mihi vndique perquirenti nondum extãt) ſed ab hoc iſtis adeò locuplete martyre, quaſi illius ad Cæſarium monachum de ſanctificato pane adferuntur verba hęc, *Dignus autem habitus eſt dominici corporis appellatio-*

ne, etiamsi natura panis in ipso permansit, &c.
obiect. 130. *Quod si ista*, addit, *dices intelligi tantũ de accidentibus, id non pateretur relatio ad Christum de natura diuina & humana, hæc enim Chrysostomus scripsit contra eos qui ita tollebant naturã Christi humanã, vt hodie transsubstãtiatores in Eucharistia tollunt substantiam panis.* Verùm prꝺter quàm quòd simile obiectũ supra diluimus, tantùm abest vt diuus ille naturã panis pro vera & germana ipsius substantia acceperit, háncque dominici corporis substantiæ, eo pacto quo duæ naturæ diuina & humana in Christo, vniri senserit, vt contra istiusmodi argumẽtis inductum Augustanorum errorem penè obtriuisse videatur his verbis, *Núm vides panem, núm vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadũt? absit. Ne sic cogites. Quemadmodum enim si cera agni adhibita assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, sic & hîc pura mysteria consumi substãtia: propter quod & accedentes ne putetis quod accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsius Seraphim forcipe ignem, quem scilices Isaias vidit vos accipere.* Quem etiam locum carptim, quídni vir fide plenus? nempe præterita silentio

Chryso. Ser. admonit. de Eucha. in Ecæ.

tio comparatione ceræ ad qualitatem ſacramentalem, quę diuinæ collata ſubſtãtiæ percepta euchariſtia ſic, vt cera candenti laminæ admota, cõſumitur, ne cōrã recitata, manifeſto trãſſubſtantiationi argumento eſſet, in ſuam illam defenſionem tranſſcripſit. Proinde Auerſano ſui temporis impanatores nequiſſimis vmbraticis nequiores eſſe aſſerẽti facilè ſubſcripſero, iſtos ſcilicet, cum Cinglio, (qui aliquot ante ſeculis compreſſam, atque adeo ſepultam hæreſim hoc noſtro omnium infœliciſſimo velut ab inferis reuocauit) *iudicium ſenſuum* (vt eiuſdem Archiepiſcopi verbis vtar) *tranſcendere non valẽtes, tanquam ex infirmitate, erraſſe*: infirmitate, inquam, minimè à Caluino, noſtris, vt ſupra dixi, obiiciente nullum in terra oculũ eius, quam profitemur, panis & vini in corpus & ſanguinem dominicum conuerſionis, teſtẽ reperiri, diſſimulata. Iſtis enim (quod ſæpius in ſacerdotiorum diſtractione nullo interioris hominis ſcrupulo vſuuenit) id in omni religionis negotio perpetuũ eſt, omnia ſcilicet Græca fide mercari, ac nihil omnino, niſi quod

part. 2. reg. 8.

Guitmund. d. libr. 3. de Sacrament.

oculis videant, credere, itaque perpetuò
Ioan. 20. his Christi verbis, *Beati qui non viderũt, & crediderunt*, repugnare: impanatoribus verò, quorũ itidem sepultum errorẽ quinquagesimo ab hinc anno Luterus ingenti reipublicæ Christianæ detrimento suscitauit, nulla tùm scripturæ sanctorúmque patrum authoritas, tum naturæ ratio
d. lib. 3. suffragata est. *Sola penitus*, inquit ille, *superbia vesanire videntur, dum reclamante natura, quam tantopere defensitare solent (quomodo enim in solido corpore panis, alterum corpus latere poßit, videri non potest) reclamante, inquam natura, reclamãtibus scripturis sacris, nullo sanctorum patrũ testimonio, nullo diuino oraculo, nullo miraculo fulti, munitam vndique catholicam pietatem bestialiter obstinati, ob hoc tantùm oppugnare videntur, ne ab ea victi esse videãtur.* Illi verò olim Stercoranistarũ titulo insuper notati, quòd tantum sacramẽtum, sicut corporali commestioni, ità & secessui esse obnoxium nefariè cogitabãt, suũ illum errorem astruentes: *cum multis argu-*
Alg. lib. 2. de sacram cap. 1. *mentis*, inquit Cluniacẽsis ille monachus, *tum ipsius Christi testimonio, ita in euangelio dicentis, Omne quod intrat in os, in ventrem vadit,*

dit, & in secessum emittitur: cum constet hoc eum dixisse non de spiritali cibo, sed de communi & carnali. His igitur obscenis hæreticis periculosum esset, super hoc aliquid respondere, magisque dignum aures nostras obthurare: nisi periculosius esset, eos in scãdalum ecclesiæ talia proponere, & tantam eorum falsitatem nos nullis fidei catholicæ rationibus reuerberare. Idem aliquantò pòst confutatis eorũ argumentis qui cum impio Niceta dicebant participatione corporis & sanguinis Christi ecclesiastica ieiunia solui, atq; adeò species sacramentales in ventriculo digeri, in secessum emitti, cúmque aliis communibus cibis corrumpi: idem, inquam, contra hæreticos ad pręcipui huius sacramẽti dignitatem obiicientes in tanto sacramẽto vinum acescere, panem mucidum putridúmve fieri, à muribus corrodi, in ventre eorum inueniri, igne etiam comburi. *Sed quia,* vt ait Augustinus, *ideò sacramenta dicuntur, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Sicut enim in quolibet corpore sine detrimento substantiæ, albedo nigredine, vel quælibet qualitas superueniente contraria qualitate dispellitur, sit in sacramento Christi quic-* *Alger. d. cap. 1.*

quid mutationis ſpecie tenus, vel formæ, vel cæterarum qualitatum, ſeu ſoricum corroſione, ſeu vetuſtatis mucore, vel quibuſcunque modis fieri videtur, ad ſacramenti ſubſtantiam, Chriſtum ſcilicet, non attinet: quem certiſſimè ſcimus incorruptum permanere in cælis, quicquid in eius ſacramento contingere videatur in terris. Sicut enim in proprio corpore, modò hortulanus, modò peregrinus, modo phantaſma, prout fides erat intuentium, apparuit: extrinſecus autem alapas, ſputa, flagella ſuſtinuit: ſic etiam ad probationẽ fidelium, & ſcandala infidelium vſque in finem ſæculi talia fieri permittet in ſuo ſacramẽto, vnde electi exerceantur, reprobi indurentur. Dum enim Chriſtus in ſacramento occultatus, tantáque ſua indignitate diſſimulatus, non minus tamen ibi creditur eſſe, nec minore reuerentia à fidelibus colitur: fides hoc modo probata, dum cõtra hoc quod videt de Deo ſentit, maiora meretur: infidelitas autem maiori ſuo ſcandalo indurata damnatur, quæ ibi contemnit Chriſti reuereri ſubſtantiam, vbi in repellenda ſacramẽti ſui indignitate, nullam viderit eius potentiam. Sed ſi ibi Chriſtus vel ſuæ præſentiæ euidentia innoteſceret, vel ſuæ potentiæ miraculis clareſceret, quod fidei eſſet meritũ, cui ſuæ cognitionis tam

mani-

manifestũ daret experimentum? At quod, dicat aliquis, demũ & necessariò, ex sacramentaliũ, quippe alibiliũ, etiã quoad corpora nostra, specierum minus secuta egestione sequatur. Tãtillóne præ aliis communibus cibis, quibus vt plurimũ ea alũtur, in speciem similaginis crusto? Nam vt Aquinati cõcedamus presbyterũ quemlibet ad cuiusque vel clibani captum coctos panes, vel dolij tenorem condita vina, summo tanti sacramenti ludibrio, quin ita sinistro quenuis communicãtem necandi proposito cõsecrareposse: cum & memoriæ proditum sit quendam Regulum percepta Eucharistia, quam veneno infectam huic post Liturgiam, vt assolet, cõmunicanti quispiam valde vel imprudens, vel sacer & execrabilis sacerdos porrexerat, de medio sublatum fuisse: minimè tamen primùm illud curiosis quamlibet experiri diuina satagente prouidentia datum. Quinetiam veterum ecclesiasticorum scriptis legimus acriter in eos quãdoque vindicatum, qui illotis (vt ita dixerim) manibus diuinissimam illam contingere præsumpserũt. Itaque Afram

Sum. par. 3. 3. quest. 74 art. 2.

Cypr. Serm. 5. de lapsis. mulierem, quę ſanctuario repoſitam eius thecam aperire tentaſſet, ne vlterius progrederetur, ſubitò inde igne ſurgente deterritam. Alteram quoque Macedoniano dogmate deprauatam, ſed orthodoxi mariti monitis, quippe huic, niſi reſipiſceret, diuortium comminantis, ſe annuere ſimulantem, ad ſacram communionē miniſtrante Chryſoſtomo acceſſiſſe, tra- *Niceph. lib. 13. cap. 7.* ditámque Euchariſtiam in manū de more (qui priſcus hinc poſtea fortaſſe exoleuit) mox inclinato capite, velut orationi attentiùs vacatura, occuluiſſe: ſimul huius loco communem panem, quem ſocia fraudis ancilla domo attulerat, ſuppoſuiſſe, verùm, dum ori admotum dentibus atterere conatur, in lapidis naturā induratum ſenſiſſe: proinde diuo illo comprecante delicti veniam à Deo impetraſſe, oſtēſo ſubinde lapide cum certo & aperto morſus indicio, qui longo poſt tempore inter eccleſiæ donaria aſſeruatus ſpectatoribus miraculo fuit. Huius porrò ſacratiſſimæ partem cum quidam impurus accipere auſus peracto ſacrificio latenter abſtuliſſet, ſe cinerem apertis inde manibus

bus gestasse reperit. Tãtùm abest ex illo, vti diximus, sacrorum sacro turpis aliqua fiat egestio, vt ne vllam quidẽ ipsum immunditiem extrinsecùs admittat. Iam verò explicatis Gelasij verbis, alterũ Theodoreti Cyrensis Episcopi, quo in primis isti nituntur, locum discutiamus. Is sanè duos in suo Immutabili de diuinis nominibus, nempe substantia, hypostasibus, personis, & proprietatibus, hinc Nestorianum sub Orthodoxi, illinc Eutychianũ sub Eranistæ nominibus inducit colloquentes, atque adeo illum sic institutũ sermonẽ multis iam vtrinque disceptatis prosequentem ORTHODOXVS. *Scis quod Deus suum corpus panẽ appellauit.* ERANISTES. *Scio,* ORTH. *Porro etiam alibi carnem triticum nominauit.* ERAN. *Hoc etiã scio: audiui enim eum dicentem, Venit hora vt glorificetur filius hominis: &, Nisi granũ quod cecidit in terram mortuum fuerit, solum manet, sin autem mortuum fuerit, fert multum fructũ.* ORTH. *In mysteriorũ autem traditione corpus panem appellauit, & sanguinem id quod in calice infusum & commixtũ est.* ERAN. *Ità nominauit.* ORTH. *Atqui & quod est secũ-*

Cypr. Ibid.

Theodoret. dialog. 1.

dum naturam corpus, corpus iure vocabitur, & itidē sanguis. ERAN. In confesso est. ORTH. Seruator quidem certè noster nomina commutauit, & corpori quidem, id symboli ac signi nomen imposuit: symbolo autem id quod erat corporis. Ità cum se vitem nominauisset, sanguinē, id quod erat symbolū appellauit. ERAN. Hoc quidem verè dixisti, vellem autem scire caussam mutationis nominum. ORTH. Manifestū est institutū iis qui sunt diuinis mysteriis initiati, volebat enim eos qui sunt diuinorū mysteriorū particeps nō attendere naturā eorum quæ videntur, sed propter nominum permutationē mutationi, quæ fit ex gratia, credere. Qui enim quod natura corpus est, triticum & panem appellauit, & vitē rursus seipsum nominauit, is symbola & signa quæ videntur appellatione corporis & sanguinis honorauit, nō naturā quidē mutās, sed naturæ gratiā adyciēs. ERAN. Et mysticè mystica dicta sunt, & apertè declarata sunt, quæ nō sunt nota omnibus. ORTH. Quoniā ergò in confesso est, & patriarchā corpus Domini vestem & indumentum nominasse, ad dicendū autem de diuinis mysteriis ingreßi sumus, dic per veritatem cuius symbolum & figuram esse existimas alimentum sanctißimum? diuinitatis ne

Domini

Domini Christi, an corporis & sanguinis? ERAN. *Clarum, quod illorum, quorum etiam appellationem susceperunt.* ORTH. *Corporis & sanguinis dicis?* ERAN. *Ità dico.* ORTH. *Vt decet amicum veritatis dixisti: etenim Dominus cum accepisset symbolum seu signum, non dixit, Hoc est Deitas mea, sed, Hoc est corpus meum: & rursus, Hîc est sanguis meus, & alibi, Panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mũdi vita.* ERAN. *Vera sunt hæc, sunt enim diuina eloquia.* ORTH. *Si ergo vera, corpus vtique habuit Dominus.* *Theodoret. dialog. 2.* Idem rursum in suo Incõfuso eosdem facit colloquentes in hunc modũ. ORTH. *Dic ergo mystica symbola quæ Deo à Dei sacerdotibus offeruntur, quorúmnam dicis symbola?* ERAN. *Corporis & sanguinis Domini.* ORT. *Corporis quod verè est, vel verè nõ est?* ERAN. *Quod verè est.* ORTH. *Optimè, oportet enim imaginis esse exemplar archetypum. Etenim pictores imitantur naturã, & eorũ quæ videntur depingunt imagines.* ERAN. *verũ.* ORTH. *Si ergò diuina mysteria corpus quod verè est repræsentant: ergò corpus etiã nunc Domini quoque corpus est, non in naturam diuinitatis mutatum, sed impletum diuina gloria.* ERAN. *Op-*

portunè accidit, vt verba faceres de diuinis mysteriis: nam vel ex eo ipso tibi ostendam corpus Domini in aliam mutari naturam. Respõde ergò ad mea interrogata. ORTH. Respondebo. ERAN. Quid appellas donũ, quod affertur ante innouationem sacerdotis? ORTH. Non oportet apertè dicere, est enim verisimile adesse aliquos mysteriis non initiatos. ERAN. Respondeatur ænigmaticè. ORTH. Id quod fit ex eiusmodi seminibus nutrimentũ. ERAN. Aliud autem signum quomodo nominamus? ORTH. Commune etiam hoc nomen, quod potus speciem significat. ERAN. Post sanctificationem autẽ quomodo ea appellas? ORTH. Corpus Christi & sanguinem Christi. ERAN. Et credis te fieri participem corporis & sanguinis? ORTH. Ità credo. ERAN. Sicut ergo symbola corporis & sanguinis Domini, alia quidẽ sunt ante inuocationem sacerdotis, sed post inuocationẽ mutãtur & alia fiunt: ità etiam corpus Domini post assumptionem mutatur in diuinam substantiã. ORTH. Quæ ipse texuisti retibus captus es. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura: manent enim in priori substantia, & figura & forma, & videri & tangi possunt, sicut & prius: intelligun-

tur

tur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa sint quæ creduntur. Confer ergò imaginē cum exemplari, & videbis similitudinē. Oportet enim figuram esse veritati similem. Illud enim corpus habet priorem quidem formam, & figuram, & circunscriptionem, &, vt semel dicam, corporis substantiam. Immortale autem post resurrectionem factum est & potentiùs, quàm vt vlla in ipsum cadat corruptio, & interitus: sessionéque à dextra designatum est, & ab omni creatura adoratur, vt quod appelletur corpus naturæ Domini. ERAN. *Atqui symbolum mysticum priorem mutat appellationē: neque enim amplius nominatur, quod prius vocabatur, sed corpus appellatur. Oportet etiam ergo veritatem Deum, & non corpus vocari.* ORTH. *Ignarus mihi esse videris, non enim corpus solùm, sed etiam panis vitæ nominatur: ità Dominus ipse appellauit. Porrò autem ipsum corpus diuinū nominamus, & viuificum, & dominicum, docentes nō esse commune alicuius hominis, sed Domini nostri IESV Christi, qui est Deus & homo.* Quæ Cyrensis Episcopi verba cùm Vermilius ille se in suam defensionem transcripsisse testatur, vt nostram de trāssubstantiatio- *obiec. 246.*

ne persuasionē planè iis oppugnari ostēderet, non perinde mihi malus, atque impudens martyr visus est, cum nostros, tū quidem ea à Theodoreto scripta fuisse, quum Nestoriana hæresi laboraret, excipientes, eum virum qui Chalcedonensi cōcilio pastoris orthodoxi laudibus fuerit ornatus, conuitiis afficere, dirum velut facinus indignans, vociferatur. Equidem vix catholico cuiquam venerit in mentem, ei potissimùm qui eam demum hæresim scripto detestatus sit obtrectari: tamen vt interea nō dissimulanda sint ea quæ caussæ nostræ inseruiant: nempe illi supplicis eius libelli, quē Marciano Imperatori porrexerat, eo concilio denegatam fuisse lectionem, nec eum, antequā inclamātibus & vrgentibus patribus clarè Nestorio & dogmatibus eius anathema dixisset, in suum Episcopatum, quo Theodosij Iunioris sentētia priore Ephesino lata deiectus fuerat, restitutum. Sed hi mihi velim qui Theodoreti scripta omnia tanquam orthodoxa amplecti videntur, quam diui Iacobi Nisibitæ scripsit ille vitam, attētiùs legant: præsertim eum locum

d. obie. 246

Theodoret. in compendio hæret. fabul.

Chalced. conc. actione 8.

Theodore. in sanct. patrū hist. vita. I.

locum, quo à mendicantibus sociis subornatus aliquis se mortuum ad hoc simulарat, vt idem diuus fortè ipsis obuians stipem libitinæ suffecturã erogaret: quibus non modò annuit, sed & Deo preces obtulit, tanquã pro mortuo rogãs, vt eũ, remissis quæ in vita peccauerat, in chorũ iustorum admittere dignaretur. Postquã igitur vir sanctus paulum inde processisset, túmque iacentem qui actum composuerant, exurgere nequicquam iussissent: talis enim (vt de Geneuẽsi quodam & altero Poloniensi in Energumenico diximus) qualẽ sese affinxerat à collusoribus suis compertus est: verùm non ad extremum perditi ipsi ad diuum illum continuò accurrerunt, ab eóque doli caussam paupertate prætexentes, veniam delicti, etiam restituta socio vita, impetrauerũt. Prosper igitur mendici vnius, tam ab duorum misero dispar, quàm fidelis hæretico, exitus, mihi nequaquam (etsi eo saltẽ eiusmodi fucos in seria vertere non nouũ discamus esse periculũ) visus est opportunus, qui ei loco, quo istorum ministros suis nouitatibns astruendis ab omni mi-

raculorum vſu interdixi, inſereretur. Sed me alterius æque veteris, multóque aptioris exẽpli ſuperiore æſtate domi comiter inuiſens Arnaldus Sorbinius Sanctæ fidei rector, vir ad ſummam doctámque facumdiã (vti regiũ eccleſiaſten decet) impensè pius cõmonuerat, quẽ omnino adtexuiſſem, ni iã penè euulgatum, certè pluribus cõmunicatũ ſcriptum refigere piguiſſet. Cęterùm Theodoreto authore iſti nõ nũc primùm, aut paulò anteriorib' ſęculis, pro mortuis inſtituta fuiſſe ſuffragia intelligant: quæ porrò etiam ex Apoſtolicis traditionibus emanaſſe diuus ille Areopagites apertè indicat, cum de Christiano antiſtite loquens *Precibus*, inquit, *à diuina benignitate cõtẽdit, vt & omnia peccata quæ humana fragilitate, imbecillitatéque admiſſa ſunt, ei qui exceſſit è vita remittat, & eum in lucem ac regionem viuorum in ſinus Abrahæ, Iſaac, & Iacob deducat in locũ, à quo fugit dolor, triſtitia, & gemitus.* Quæ ſæpenumero, maximè munus ſuum implente veſpillone, vt antiquiſſima, ità probatiſſima auribus noſtris accidit oratio. Enimuero, ne propoſito longiùs abſcedã, Vermilius

Dionyſ. eccl hiſt. theor. ſuper myſterio in iis qui ſanctè dorm.

milius iste cũ diuum Cyrillum quicquã de Eucharistia Theodoreto obiecisse negat, se à syncero martyre plurimum abesse, nec luculentam eiusdem Alexandrini Episcopi ad vndecimũ Ephesinæ Synodi, cui Celestini Papæ vices gerens præsedit, anathematismum declarationem legisse ostendit. Cuius quidem verba sunt. *Nicеph. lib. 14. cap. 34.*

Sanctum, ac viuificum, incruẽtúmque in ecclesiis celebramus sacrificium, non hominis alicuius nobis similis & communis corpus, consimiliter & pretiosum sanguinẽ esse quod proponitur credentes, sed magis tanquam proprium viuificantis verbi corpus & sanguinem accipimus. Communis enim caro viuificare non potest. Et hoc ipsum seruator testatur dicens, Caro nõ prodest quicquam: Spiritus enim est qui viuificat. Quoniam enim verbi facta est propria, ob eam caussam intelligitur, & est viuifica, sicut Seruator dicit. Sicut misit me pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, etiam ille viuet propter me. Quia verò Nestorius, & qui cum illo sentiunt, mysterij huius veritatem temerè dissoluunt, propterea, ídque valde meritò, constitutus est, hîc anathematismus. Idem ficti illius Orthodoxi paulò antè relata

verba hæc, *Etenim cum Dominus accepisset symbolum.seu signum non dixit, Hoc est Deitas mea, sed, Hoc est corpus meum, &c.* tam directè petere visus est, cum aduersus Theodoretum vndecimum eundem anathematismum reprehendentem scribens, ipsum quoque Nestorium ridet sic loquentem: *Memores estote quod de carne est sermo, non enim dicit, Qui manducat meam diuinitatem sed qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem*: adiiciens, nos in mysticis benedictionibus eam percipere carnem, quæ secũdum naturam vita est, ex quo verbum caro factum est. facta nimirùm in vtero virginis absque naturarũ confusione mirabili vnitione diuinitatis cum humanitate. Quinetiã vtroque dialogo ab ipsius Eucharistiæ mysterio sumptum cum Nestorianæ, tum Eutychianæ hæresis argumentum, idem Martyr impudentissimè dissimulat: cum Eranistes, cui, licet Eutychiano, saltem ab ipsa argumenti propositione, potius tribuẽdum erat Orthodoxi nomen, iam tum recepta, quam isti penè nouam in ecclesia esse mentiuntur, transsubstantiationis persua-

Cyrillus li. ad Euoptiũ

persuasione, ita in ipso incarnationis mysterio humanam Christi naturam in diuinam, ac in Eucharistia mysticas panis & vini species in dominicũ corpus & sanguinẽ conuerti argueret: cõtra Theodoreto sub Orthodoxi persona Nestorianum dogma asserẽte, atque adeo, vel humano quouis oculo teste, non magis eas species á sua substantia, quàm ab illo mysterio, diuinę in vtero virginis concursu, humanam recedere naturam con cedente: modò enim de Christo loquens: *Is*, inquit, *symbola & signa quæ videntur appellatione corporis & sanguinis honorauit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adiiciens*, & aliquantò pòst, *Si ergò diuina mysteria corpus, quod verè est repræsentant: ergò corpus etiã nunc Domini quoque corpus est, non in naturam diuinitatis mutatum, sed impletum diuina gloria.* Ad hæc verò suscipiens Eranistes. *Sicut ergò*, inquit, *symbola corporu & sanguinis Domini, alia quidem sunt ante inuocationem sacerdotis, sed post inuocationem mutantur, & alia fiunt: ita etiam cor pus Domini post assumptionem mutatur in diuinam substantiam.* Periculosa sanè quæuis

d. dialog. 1.

d. dialog. 2.

ab rerum quadantenus similium compa ratione argumentatio, quod in promptu vel ex illius propositione, vel huius assumptione colligere possis. Falsum enim est, quod ille adhibitas in Eucharistiæ sacramento panis & vini species post sacerdotis inuocationem in sua manere natura, & eiusdem, cuius corporeis sensibus parent, substantiæ esse proposuit: quanquam verum inde assumpserit, scilicet ipsum Christi, quod nunc Patrem dextra assidet, corpus, eandē, qua in terris conspectum est, formam, figuram, circūscriptionem, ac substantiam retinere. Quorsum verò hęc, ad personarum, quam Nestorius ex duarum naturarum diuersitate in filio constituebat, pluralitatē? Porrò autem verę huius propositionis, quippe mortuas illas species diuini verbi sanctificatione in Christi corpus conuerti, fallax assumptio hæc, *Ità etiam corpus Domini post assumptionem mutatur in diuinam substantiam*, In hoc enim manet vtraque, quanuis vnita, verùm genere & natura distincta, inconfusaque diuinitatis & humanitatis substantia. Itaque

secundum

ſecundum prædictam diui Hilarij regulam omnis comparatio ad intelligentiæ formam, ne laxius æquò procurrat tractum ex ea argumentum, præſumenda. Neque enim per omnia comparabile eſt ipſum Chriſti, cum cõmuni, & alio quouis corpore, corpus.

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur vltra, vt ait Lepidus ille poeta. *Solus quippe filius*, vt ſupra ex Cypriano retulimus, *patri conſubſtantialis eſt, nec diuiſibilis, nec partibilis ſubſtãtia trinitatis.* quatenus vnus Deus pater, vnus Deus filius, vnus Deus ſpiritus ſanctus. Increatus pater, increatus filius, increatus ſpiritus ſanctus: Æternus pater, æternus Filius, æternus ſpiritus ſanctus: Omnipotens pater, omnipotẽs filius, omnipotens ſpiritus ſanctus, &c. De reliquo nõ iniqua cõſubſtãtiationis cũ tranſſubſtantiatione comparatio. qualem diuus ille Pictonum Epiſcopus, ſcitiſsime feciſſe viſus eſt his verbis: *Eos nunc qui inter patrem & filium voluntatis ingerunt vnitatem, interrogo vtrúmne per naturæ veritatem hodie Chriſtus in nobis ſit, an per concordiam voluntatis. Si enim verè verbum caro factum eſt, &* *Hil. d. lib. 8 de trinitate*

verè nos verbum carnem factũ cibo dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilẽ sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus: quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter, vel se in Christo, vel Christum sibi inesse: quia in Christo pater, & Christus in nobis vnum in his esse nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri assumpsit, & verè homo ille qui ex Maria natus fuit, Christus est, nósque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sit sacramentum vnitatis? Mirabili peritia (vt Auersani verbis vtar) is ab interrogatione disputationem exorsus, illius propositionis qua sic Christũ patri, vt nos Christo vniri asseruerat, hanc, quippe nobis Christum nõ modo voluntate, sed & natura cõiungi, posuit ac probauit assumptionem:

Guitmund. lib. 3. de Sacrament.

tionem: deinde quasi cuipiam dicti sui rationem exquirenti respondens: *Non est humano aut sæculi,* inquit, *sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentiam atque impudentem prædicationem cœlestium dictorum á sanitate alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda peruersitas. Quæ scripta sunt legamus, & quæ legerimus intelligamus, & tum perfectæ fidei officio fungemur.* Ad quæ verba Guitmundus excurrẽs, sui temporis vmbraticos (cuiusmodi esse nunc Cinglianos & Caluinianos diximus) ab Hilario tanquam insanis quibusdam figurationibus scripturam diuexãtes notari ait, eiúsque simplicẽ ac germanũ sensum ab eodẽ diuo apertè indicari his continuò sequẽtibus, *De naturali in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus stultè atque impiè dicemus. Ipse enim ait, Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit meũ sanguinem: in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigẽdi locus. Nunc & ipsius Domini cõfeßione & fide nostra verè est caro, & verè sanguis est: & hæc accepta atque hausta id efficiunt, vt nos in Christo, & Chri-*

Hilar. d. lib. 8.

d. lib. 3.

d. lib. 8.

ſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Contingat planè iis verum non eſſe qui Chriſtum IESVM *verum Deum eſſe negant*. Idem ſubtiliter admodum cõcludendo addit. *Eſt ergò in nobis ipſe per carnem, & ſumus in eo, dum ſecundũ id quod ſumus ipſe eſt*. & paulò pòſt, *Si voluntatis tantùm vnitatem intelligi vellet, cur gradum quendam atque ordinem conſummandæ vnitatis expoſuit? niſi vt cum ille in patre per naturã diuinitatis eſſet, nos contra in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rurſum in nobis per ſacramentorum eius myſteriũ ineſſe crederetur, ac ſic perfecta per mediatorem vnitas doceretur, cum nobis in ſe manẽtibus ipſe maneret in patre, & in patre manẽs maneret in nobis: & ità ad vnitatem patris proficeremus, cũ qui naturaliter in eo ineſt, nos quoque in eo naturaliter ineſſemus ipſo in nobis naturaliter permanente*. Quod ineuitabile verborum Hilarij telum ſic declinat Thuſcus ſophiſta, vt magis ſeſe in illud coniicere, atque adeo dominicæ carnis naturam cum ipſius æternitatis ſeu diuinitatis natura, præter ſolitum à ſimilibus arguendi morem, varia eiuſdem vocis acceptione non tam comparare, quam alteram

De Ench. parte 4. Solutione ad arg. ex Hilario.

teram ab altera disparare videatur. quippe qui naturam hinc pro substãtia & realitate, vt dialectici loquuntur, illinc pro figura, vmbra, spiritúve accipi velit: ut item aduerbia hæc, verè, naturaliter & corporaliter, quibus tota illa dissertatio struitur, hinc pro substantialiter, illinc pro figuratè & spiritaliter: nec aliò diuũ illum, cùm seruatorem suæ carnis naturam ad suæ æternitatis naturã, sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuisse ait, spectasse, quàm vt eo mysterio eius corpus & sanguinem pro nobis in mortem tradita fuisse significaret. Cui tamen sententiæ valde repugnãt sequentia hæc, *Viuit ergo per patrẽ: & quomodo per patrem viuit, eodem modo nos per carnem eius viuemus*: mox interposita sua illa regula, *Hæc verò vitæ nostræ caussa est, quod in nobis carnalibus, manentem per carnem in nobis Christum habemus: victurus nobis per eum ea conditione, qua viuit ille per patrem*. Denique breuiter & artificiosè id quod assumpserat prædictæ conclusioni, vt hanc magis probabilẽ faceret, inuoluens, *Si ergò nos*, inquit, *naturaliter secundum carnem per eum* *Hil.d.lib.8*

viuimus, id est, naturam suæ carnis adepti: quomodo non naturaliter secundum spiritum in se patrem habeat, cum viuat ipse per patrem? Rectè secundum spiritum, id est secundum spiritalẽ substantiam & naturam. Deus enim natura Spiritus est. Quinetiam spiritum diuinitatis naturam paulò antè appellauit. Qua quidem diuinitatis, cum altera humanitatis Christi natura, adoranda hypostasis constituta est, secundum quam Cypriano. *Solus filius patri consubstantialis est, nec partibilis nec diuisibilis substantia trinitatis. Nostra verò & ipsius coniunctio nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates.* Ad quorum verborum explicationem superiùs factam illud porrò addendum est: ab hoc consociandi seu confœderandi effectu tanto sacramento inditum Synaxeos nomen: non quòd eo vllam nostræ & ipsius Christi carnis hypostasim, solũ συναφὴν contingere intelligamus: sic vt ad sacramentalẽ manducationem nõ solùm animorũ cõsensione, sed & corporũ cohærentia opus sit, ad hoc, vt membra corporis Christi, & de carne eius, & de ossi-

offibus eius efficiamur, hísque concur- *Ephes. 5.*
rentibus fummam noftræ cum Chrifto
vnitatis perfectionē adipifcamur. Quid
igitur de dominici corporis & fanguinis
veritate beatus Hilarius fenferit, ex eiuf-
dem facramenti cum incarnati verbi my
fterio cómparatione liquet: nimirùm nō
minus in illo, atque in hoc humanā Chri-
fti diuinæ admixtā inesse fubftantiam, cū
de fubftantiali vnitate patris & filij tota
contra Arrianos quæftio verfaretur: nec
peritiffimus difputator illam, nifi in quæ
ftione, alioqui flaccefcēte, fuiffet, fibi tan-
topere probandam fumpfiffet. *Quomodo,*
addit ille Archiepifcopus, *fi nos verbū car-* *Guitmund. d. lib. 3.*
nem factum dominico cibo non fubftantiuè fed
vmbratcé fumimus, per hoc confequens eft, vt
in nobis fubftantialiter maneat Chriftus? Quæ
eft huius probationis neceßitas? quæ eft confequē
tia? Nulla quippe neceßitas eft, nulla confequen-
tia, vt vbi eft alicuius rei figura fit confequen-
ter eiufdem rei fubftantia. Si enim cuiuis dicerē
in hoc pariete eft fubftātia tua, quia ibi eft ima-
go tua: nónne me diceret infanire? Sed nec quif-
quam omnino dixerit, quando edebatur agnus
legalis, vt ibi effet confequenter fubftantia Chri-

sti cum ille agnus vmbra esset & figura Christi. Quis verò audeat dicere, cum serpentem æneũ Moses in deserto suspenderet, quod ibi substantiam Christi suspenderet, cum substantiam Christi in ligno suspendendi serpens ille æneus figuraret? Quocirca si assumptio Hilarij, qua dicitur quod substantialiter in nobis est Christus, per hoc rata esse monstratur, quòd nos carnem & sanguinem Christi cibo dominico sumimus, quæ accepta atque hausta id efficiunt, vt & Christus in nobis, & nos naturaliter vnum simus in Christo naturam suæ carnis adepti (nulla autem consequentia, vt ostendimus, assumptio illa per hoc probari potest, nisi in cibo dominico sit verè substantia corporis & sanguinis Christi) manifestum est quoniam prudentißimus argumentator Hilarius, qui suam assumptionem per hoc confirmare voluit, substantiam corporis & sanguinis Domini nos in cibo dominico sumere, non vmbram & figuram tãtùm, vt vmbratici isti malè somniant, credidit. Patet igitur ex prædictis, mirabili huic sacramento non solùm vmbram, sed & diuinæ admixtam naturæ Christi carnẽ inesse: vmbram, inquam, quatenus pane & vino in dominicum corpus & sanguinem,

sæpiùs

ſæpiùs vt dictum eſt, verbo ſanctificãte transſubſtantiatis, harum accidẽtia eiuſdem ſacramenti effectum ſignificantia remanent, ſic vt mutatis illis naturis nihil ſit, quod nos ad ipſam, diuiuæ velut vnitam naturæ, Chriſti carnem adorandam remoretur, quod eſſet, ſi, quemadmodum poſteriore argumento Theodoretus aſſumpſit, ſigna myſtica poſt ſanctificationem non recederent à ſua natura, atque adeo manerent in priore ſubſtantia, figura & forma. Quanquam is eadem pari ratione adorari cenſuerit, qua Neſtorij, duos patri filios ex duabus naturis, humana ſcilicet & diuina ſeorſim conſtituentis, errorem ſecutus, horũ alterum, licet expertem diuinitatis, cum altero coadorandum ac conglorificandũ eſſe crediderat: Contra Epheſinis patribus confitentibus vnum filium, non tanquam hominẽ cum verbo coadorãdum, ne diuiſionis ſpecies induceretur, ſed vnũ iam & eundem adorandum, quia nõ eſt alienum à verbo corpus ſuum, cum quo etiam ipſe patri aſſidet. Cæterùm Aquinati, ſi quæ alia à Chriſti corpore &

d. dialog. 2

Epheſ. con. can. 13.

ſanguine ſubſtantia Euchariſtiæ ineſſet, illam huius ſacramēti venerationi repugnaturā affirmanti, penè arridēt ſcrupu- In Pſal. 98 loſa hæc Auguſtini verba, *Anceps factus ſum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram. Rurſum timeo non adorare ſcabellum pedum Domini, quia pſalmus mihi dicit, Adorate ſcabellum pedū eius. Quæro quid ſit ſcabellum pedum eius? & dicit mihi ſcriptura, Terra autem ſcabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellū pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnē accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit (nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit) inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Nam, vt demus Scoto & Durando minime contemnendis authoribus, Chriſti carnem, quāuis corporea nec latriæ digna ſubſit & lateat ſpecie, venerandam: nihilominus

minus Vintonienſi porrò illis Auguſtini verbis eandem non ſolum in cœlis, nempe erecto ſurſum animo, vt iſti volũt, ſed & in terris ſub Sacramento adorandam contendenti aſſentiendum. Quinetiam ad hęc ità frigidè & molliter excipit Vermilius, vt mihi non tam cauſam ſuam iuuare, quàm prodere videatur: maximè cum ad eundem Dauidis verſum ferè parem Auguſtinianæ illi adfert Ambroſij interpretationem, qua eo quoque pedum Domini ſcabello terram intelligi, terra autem Chriſti carnem, *quam hodie*, inquit, *in myſteriis adoramus & quam Apoſtoli in Domino IESV adorarunt*. Cedo cuiam Chriſti Carnem, verámne Apoſtoli è nauicula exeuntes, aut Magi ante puerum procidentes adorauerunt? Quid cenſen ſenis cuiuſdam multis diuinorum myſteriorum reuelationibus admirandi narrationi, qua ſe Deum aliquando hac viſione dignatum memorabat, vt per id tempus, quo iuge ſacrificium horrore & reuerentia pleniſſimum perageret, multitudinem angelorum de repente, quãtum humanus aſpectus fer-

De Euch. part. 3. ſolutione ad argu. ex Ambroſio & Auguſtino

Ambroſ. lib. 3. de Spiritu ſanct. cap. 12.

Matth. 2. & 14.

re poterat, conſpiceret, qui fulgentibus veſtibus induti, ac(tum conſtanti militib⁹ Imperatores ſalutãdi more)cernui ipſum altare circundarent, fidem, in eo præſertim quod perſuaſiſſimum ſibi eſſe ſcribit Chryſoſtomus, quaſi in ſenili fabula derogandam? Sed iam de manibus cordati hominis, vtpote ſe identidem à Vintonienſi figuratoris nomine percelli ægreferentis, ea, quibus, vt a cetabulis quiſquã præſtigiator, quorũuis ſimplicium oculos perſtringere ſolet, extorquenda ſunt Tertulliani de mirifico hoc ſacramento loquentis verba, *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figura corporis mei.* Scita quidem horum ad imaginarium, quod inibi comminiſcitur, corpus intercalatio: hîc modò cõſtitiſſet, nec illi inſuper excidiſſent continuò ſubiecta hæc, *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis corpus eſſet.* Enimuero quorſus eadem vergant ignoranti, ac proinde ſuo ſe gladio iugulanti ignoſcẽdum. Marcion Cerdonis diſcipulus, à veterum Grecorum, qui Diiones & Veiones ſtatuebant, fabulis nõ abhorrens

Chryſo. lib. 6. de Sacerdotio.

Tertul. lib. 4. aduerſus Marcionem

horrens, duos volebat esse Deos, vnum truculentum sanguinariúmque, alterum mitem & sedatum: hunc noui testamenti authorem, cuius etiam filium Christū esse aiebat, non vera, sed solum imaginaria carne vestitum. Videlicet pio homini impium videbatur Christū in vero & naturali corpore passum fuisse. Hos igitur errores cōfutans vetus ille doctor, duplicem Christi figuram ab ipso in speciē duplici veritatis corpore metitur, negans vllam figuram dici posse, cui non simul ipsum veritatis subsit corpus: mirè in hoc dialecticis conuenire visus, cùm hi magis in forma quàm in materia cuiusque rei substantiam cōstituere soleant. Quod vt planum cunctis fiat reliquum huius loci cōtextum minutim explicemus. *Cæterùm*, inquit, *vacua res, quod est phantasma, figurā capere nō posset, aut si propterea panem sibi finxit corpus, quia corporis carebat veritate, ergò panem debuit tradere pro nobis, faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis crucifigeretur.* *Ibidem.* Quandoquidem nulla inanium figura, vt neque forma absque materia intelligitur, ideo absurdam putat eucharistici panis absque dominici corporis veritate co-

gita

gitationem, hac enim admissa, satius fuisset pro nobis similagineam, quàm humanam crucifigi naturam. Eccui non liquet
Ibidem. hac antithesi coargui pariter pani consecrato, ac carni patibulo affixæ dominici corporis subesse veritatem? Sequitur, *Cur autem panem corpus suum appellat, & nõ magis peponem, quẽ Marciõ cordis loco habuit, non intelligẽs veterem istã fuisse figurã corporis Christi dicẽtis per Ieremiã. Aduersus me cogitauerũt cogitatũ dicentes, venite cõiiciamus lignũ in panem eius, scilicet crucem in corp⁹ eius.* Arrigant hîc aures aduersarij, nisi verò hũc Apostolorum temporibus proximum, in eorum numero collocemus, qui (vt supra dixi)
Iere.11. Caluino cẽsore huius prophetiæ allegoriam insulsè ad trãssubstantiationem retulerunt. Horum porrò verborum si sensum exquirimus, Marcioni adiaphoron fuisset alterutram panis aut peponis speciem in mystico Domini corpore figurãdo vsurpare: nisi quòd à se gulosè, nec dissimili cuiuslibet in Venetiarum æstuario actuarij nautæ ingluuie, cõmorderi solitũ, diuinæ rei symbolo dignandũ esse cẽsuisset: vtique, cum nesciret quod diuus idem

idem Areopagites elegãter ſcripſit in panis & vini ſpeciebus, quæ ſacro altari imponuntur, Chriſtum ſignificari ſimul & ſumi. Significari rei impoſitæ exemplo, ſumi veritatis myſterio. De vino vt taceam (quod neutiquam ille, niſi valde fallor, aqua, quippe eius mulo comparcenda, diluebat) aptiſſima panis ad id, quod iſto Synaxis, id eſt, collectionis ſeu communionis ſacramento agitur, figuratio, per quam ſubſiſtentis in ea veritatis myſterium intelligamus: nos ſcilicet, (vt toties dictum hîc appoſitè repetam) in multis differentes, ceu diuerſa membra in vnum eccleſiæ corpus ſub Chriſto capite haud ſecus coniungi, ac multa tritici grana in vnum panem redigũtur, plures racemi vuǽque in vnam vini ſpeciem confluunt. Quale quidem antitypum peponi, minimè ex pluribus granis aut ſimilibus indiuiduis cõflato, nemo duxerit tribuendum. Huic, inquam, ſacramento aptiſſima panis, velut alibilis ſpeciei, figuratio, ſub qua Chriſti verum alioqui corpus cruci affigere tam ridiculum fuiſſet, quàm horrendum, illud idem ſub patibi-

Dion. eccle. hierar. theoria ad ſacramentum ſynaxis.

li, id eſt, humana effigie, dentibus laniare. Cui figurationi inſuper coniunctam eſſe veritatem prorſus oſtendunt veteris

Tert.d.li.4 eiuſdem presbyteri ſequentia hæc, *Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declarauit corpus ſuum vocans panem. Sic & in calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo obſignatum ſubſtantiam corporis confirmauit: Nullius enim corporis ſanguis poteſt eſſe niſi carnis: Nam etſi qua corporis qualitas opponetur, nobis certè ſanguinem, niſi carnea non habebit. Ita conſiſtit probatio corporis de teſtimonio ſanguinis*: &

Gene.49 paulò pòſt interiectis Iacobi patriarchæ

Iſa.63. & Iſaiæ vaticiniis, quibus hic Chriſti velut torcular calcantis, indéque cum rubro veſtimento exeuntis, cruentæ carnis in paſſione habitum præfigurauit: ille in benedictione ſui filij Iudæ (ex cuius recta per virginem matrem linea Chriſtus deſcendit) hunc lauaturum in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ amictum ſuum prædixit: *Stolam & amictum*, addit, *carnē demonſtrans, & vinum ſanguimem. Ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit*. Quorſum

vero

verò posteriora hæc, nisi iisdem ad præcedentia relatis, quibus dominici corporis substantiam, carneám ve qualitatē in sanguine confirmari, atque adeo probari ait, expressis penè verbis intelligimus olim in vino simplicem sanguinis figuram fuisse, quæ nunc mystici sub vini specie sanguinis per transsubstantiantem cōsecrationem veritati coniungitur. Græcā porrò phrasim secuti, toto hoc opere mysticū Domini corpus vocamus, quod vtique verum sub panis specie latet: vt vice versa mysticum panem, sub cuius specie corpus Christi verissimé subest, itidē de sanguine & vino vicissim statuēdum. Cæterùm Villaganoni nostro subtiliter recens istorum dominici corporis & sanguinis vsum in sola spiritali, nō item reali ac corporali, manducatione profitētium dogma confutanti his Pauli verbis, *Calix benedictionis cui benedicimus, nònne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frāgimus, nònne communicatio corporis Domini est? quoniam vnus panis & vnum corpus multi sumus: omnes quidem de vno pane & de vno calice participamus. Videte Israel secundum car* 1. Cor. 10.

nem, nónne qui edunt hostias participes sunt altaris? nemo non sanus assentiatur ibidem collata panis fractione ad carnales Iudæorum hostias (vt vtrinque par sit comparandi ratio) nos nõ solùm fide, sed & reali mãducatione dominici corporis & sanguinis participes fieri. *Quid ergò* (quasi proximè generalitérque ad omnia, quæ ante & post Christum passum Hierosolymis facta sunt, sacrificia enunciatum reprimens) *dico quod immolatum sit aliquid?* id est, núm Iudaicas à Christi passione victimationes in legitimis hostiis deputo? hoc igitur obiectum subiectione, quæ Græcis, vt reor, ἀντυποφορα est, diluens, se nõ pluris ea facere ethnicorũ sacrificiis innuit his verbis, *Sed quod quæ immolant gentes, dæmoniis immolant & non Deo. Nolo autem vos fieri socios dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorũ. Non potestis mensæ domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Quo loco sanè luculenter, vt disserendi peritus, Thomas de Vio Cardinalis Caietanus dudum aduersus Luteranos, iam tum Missæ sacrificiũ denegantes, arguit Eucharistiã post Chri-

Libello de Sacrificio Missæ inserto D. Thomæ operibus.

sti

ſti in cęlos aſcenſum ab eius diſcipulis æque offerri ſolitam, ac ab Iudæorum aut ethnicorum ſacerdotibus animalia offerebantur & immolabātur: alioquin vniuerſam illam Pauli machinam, ab oppoſitis, videlicet hinc myſticè, illinc carnaliter oblatis ſurgentem, ruituram. Qui ita diuus ille philoſoph⁹ malos genios olim in ſacris Solis (de his arbitror, loquēs quæ tunc Viſendo Phęnicū tēplo celebrabātur) ferè noſtrum hoc iuge ſacrificium, quippe ab appoſito pane & poculo cum certis quibuſdam verbis imitatos fuiſſe refert: tū ab hoc propoſita ſacrorū Solis imitatione quædā arguitur propitiatorię oblationis ſimilitudo, cuius quidem reſpectu ſacerdotes noſtri ſacrificare apud Cyprianum loco planè memorabili dicuntur. *Præſente ac teſte meipſo*, ait, *accipite quid euenerit. Parentes fortè fugientes, dum trepidi minus conſulunt, ſub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt. relictā nutrix detulit ad magiſtratus: illi ei apud idolum, quo populus confluebat, quod carnem necdum edere poſſet per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen ipſum de immolatione pereuntium*

Iuſtin. apol. pro Chriſtianis.

Cyp. ſerm. 5 de lapſis.

ſupererat, tradiderunt. Recepit filiam mater: ſed facinus commiſſum puella tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret. Sed enim mixta puella cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu cõcuti, nunc mentis æſtu fluctuabunda, velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conſciẽtiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò ſolennibus adimpletis calicem Diaconus præſentibus offerre cœpit, & accipiẽtibus cæteris locus eius aduenit, faciẽ ſuam paruula inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere, os obthurantibus labiis premere, calicẽ recuſare. Perſtitit tamen Diaconus &, reluctanti licet, de ſacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit. Tanta eſt Domini poteſtas, tanta maieſtas. Hic locus, ſi quiſquam alius, primitiuæ, quam vocant, eccleſiæ penè nimiam (quod pace cuiuſque dixerim) in porrigenda pueris Euchariſtia ſuperſtitionem detegit. Certè iamdudum vſu ab-

rogatam fuiſſe conſtat proximis inde ſæculis, non ignorantibus ſacro regenerationis lauacro operatam gratiam, illis, aut adultis ſtatim à baptiſmo in ſua vel innocentia, vel reſipiſcentia morie͠tibus, ſatis vnam eſſe: qua velut haud dubio ad beatitudinem vehiculo ſurſum eriga͠tur. Quale etiã poſt baptiſmum lapſis digne͏̀ percepta Euchariſtia vſuuenire diximus, verùm eo ſenſu quem ſupra aperuimus. Equidem ſic mecum de duobus iſtis pręcipuis eccleſię ſacramentis ſtatuo, eadem ab illo ſingulari holocauſto, hoc eſt cruento Chriſti ſacrificio, ceu in quo conſtitutum ſit totius humanæ ſalutis ac rede͠ptionis pretium ſuam vim omnem aſſumere, húcque adeo referendũ eſſe, quod ſublimiter ait Apoſtolus, Chriſtum vna oblatione in ſempiternum confirmaſſe ſanctificatos: quatenus nũc quoque per prius illud ſacramentum è transfixo huius làtere defluens aqua, quoruncunque ſacra noſtra ineuntium capitibus in tantum conſpergatur, vt inde Chriſto commori dicantur. ita tamen vt poſtea lapſis, quæ vna eadémque (quod prouerbio di-

Hæb. 10.

2. *Tim.* 2.

citur) fidelia antea culpam ſimul & pœnã induxiſſet, gratia penitus excidat. Quomodo intelligenda Pauli verba dicentis, iis qui illud Dei donum amiſiſſent impoſſibile eſſe per pœnitentiã renouari, apertè declarant ſubſequẽtia hæc, *Rurſum crucifigentes in ſemetipſis filium Dei, oſtentui habentes.* Neque enim abſolutè dicit *crucifigentes*, ſed adiecit *in ſemetipſis*, hoc eſt, quoad poſſunt, Chriſtum, cum quo per baptiſmum in moitem cõſepulti ſumus, iterũ ac ridiculè, quaſi is ſimilis cum Lazaro, quem quatriduanum à mortuis ſuſcitarat, conditionis eſſet, morti addicentes: vt arguat eos qui negligentiùs hanc vitam ducunt ſic omnia agere perinde aliud quoddam regenerationis lauacrum expectent: quo quidem ſtatim ab omni culpa & pœna, vt infantes, tantùm verbo & elemento adhibita ea quę per ſacerdotis interrogationem & ſuſceptoris reſponſionem fit ſponſione, aut adulti ſimplici inſuper per cordis cõuerſionem pœnitudine liberarentur. Itaque ad alterum iuſtæ illius, quam trifariam theologi noſtri in cordis cõtritionem, oris confeſſionem,

Hab. 6.

Rom. 6. colo 2.

nem, & operis ſatisfactionem partiũtur, pœnitentiæ ſacramẽtum, ſeu ſecundam, quod Hieronymus aiebat, in naufragio tabulam recurrendum eſſe manifeſtum fecerit (vt rẽ ab Auguſtino fuſius tractatam in pauca conferam) decantatiſſima Dauidis Regis poſt circuncisionem, Petri vero Apoſtoli necnon Corinthij illius poſt baptiſmum pœnitentia. Quin is ipſe gentiũ doctor (ne tanta redhibendæ gratiæ ſpe cum Nouatianis, nimis perfractè ſuum illum errorem tuentibus) omnino deiiceremur, poſt paulò ſequentibus *Cõfidimus*, inquit, *de vobis dilectiſſimi meliora & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur: non enim iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtratis ſanctis & miniſtratis. Cupimus autem vnumquenque veſtrum eãdem oſtentare ſolicitudinem, ad expletionem fidei vſque in finem: vt non ſegnes efficiamini, verùm imitatores: eorũ qui fide & patientia hæreditabunt promiſſiones.* Id eſt, quanuis à me præmoniti fueritis vos huius baptiſmi repetitione nihilo plus quàm Iudæi, quum variis ad iuſtificationem lotionibus vtũtur,

Hie. in pſal 95.

In fine libri 50. homiliarum.

Heb. 6.

consequuturos: proinde nequicquam iis rebus fundamenta iacturos quibus breui (vt ita dicam) manu, nempe clericorum exorcismis & exufflationibus humana ipsi fragilitate in iracūdiæ vasa sæpiùs recidentes ab immundi spiritus iugo, in illius victoris, qui captiuam duxit captiuitatem, & dona dedit hominibus, ditionem transferamini: macti tamen egregia illa quam de diuina iustitia & miseratione concipimus fiducia, Christum scilicet horum charitatis operum, quæ in ipsius membra iampridem exhibuistis, ac nunc etiam exhibetis, haudquaquam obliturū: nec eadem diutiùs (siquando per ignauiā mundo carni, aut dæmoni subcubueritis) intermori siniturum. dūmodo, quod in primis cupiam, egregia quadam ab operibus mortuis per pœnitentiam resurgendi promptitudine vestram in eo solicitudinem ostentetis, tantóque acriùs insurgentem vitiis virtutem in ipsa infirmitate perficiatis. Ità enim fiet vt fide operibus roborata voti compotes efficiamini, eorum exemplo qui diutina æquanimitate & patientia nunc demum cœlesti

Theophyl. in caput 6. epist. ad Hab.

lesti hæreditate sibi dudum promissa fruuntur. Igitur quemadmodum Christus holocausto, id est cruento in ara crucis sacrificio semel tantũ functus est, ità huic singulare propriúmve baptismi sacramẽtum in vno quoque nostrûm minimè iterandum. Eucharistiæ verò, prout dixi, bipertita est in duobus illis medicamenti & holocausti (quibus Cyprianus prædicto loco vtitur) vocibus inspectio, quatenus hac per panis & vini consecratione in missæ solennibus cum eleuatione fieri solitam, quod semel in cruce persolutũ est humanæ redẽptionis pretium nulla amplius supplicij acerbitate, tantũ grata cõmemoratione pro omnium hominum salute instar Iudaici holocausti iugiter offerri: illa verò medicamenti per harum specierum communionem viritim, vtpote pro singulorum salute in modum Leuiticæ visceratationis factam, cõuenienti, quod ille ait, malagmate, hoc est, viuifico fomento, alimentóve ritè sumpto mortalia animarum nostrarum vulnera consanari significatur. Vtrobique enim Christus mysticam sui corpo-

Cypr. de cœna Dom.

ris oblationē velut paſſionis ſuæ memoria inde vſurpata, ac, vt interpretor, eiuſdem merito applicata pridie quàm pateretur inſtituit: præpoſterè effectū ipſum cauſſæ ſuæ anteuertēs. Quandoquidem Ciceroni id cauſſa eſſe diffiniatur, quod cuique rei efficienter, vt dominica paſſio vtrique myſticæ panis & vini oblationi antecedit. cum illa verba Chriſti: *Comedite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur: Bibite, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſsionem peccatorum*: profecto illum vel comedendi vel bibendi effectum poſtridianę Chriſti paſſioni, veluti cauſſæ ſuę efficienti acceptoferendum eſſe demonſtrent. Nam quid profuiſſet Chriſtum panem & vinum in corpore & ſanguine ſuo conſecrata Deo patri obtuliſſe, ſi ipſis quātumlibet ſanctificatis per paſſionem ſubinde cōſtituto redemptionis noſtrę pretio nullus in cælos patuiſſet acceſſus? tametſi in Hæbraicorum verborum temporibus frequentius futurum pro præſenti ab eius, qua Chriſtus in humanis degens loquebatur, linguæ peritis ſic intel ligimus, iā vt in illa cœna panē

Cic. de fato.

&

& calicem sanctificãdo sacrificasse, hæcque Apostolis porrigendo pro nobis perinde atque in ara crucis, quamuis diuerso modo, suum & corpus tradidisse, & sanguinem effudisse censeatur: verumtamẽ vt luculenta, quam modò protulimus, ratione, non aliam duo hæc incruenta sacrificia vim atque efficaciam quàm ab illo cruento referre, tum viceuersa cóque respectu verba illa *traditur & sumitur*, pro *tradetur & sumetur*, (phrasi hæbraica id quoque tolerante, accipienda esse fateamur. Quinetiam magna (vt Paulinis verbis vtar) verorum ad sua exemplaria, vel chronico in ordine conformitas: quippe cruẽto Christi sacrificio incruentũ priùs figuratum, cũ Aaronico sacerdotio prior tempore fuerit Melchisedechi in pane & vino oblatio: sed & Leuiticis victimationibus aperta huius cum illo commixtio, ac promiscuæ in vtroque rationis vicissitudo: quatenus sanguini animalium similæ, vtique, si diuo eidem Philosopho credimus, Eucharistiam significantis, fieret cõspersio: iam tum quadam carnis ad panem symmetria indicans Christo de- *Iustin. in dialog. cum Triphone.*

mum paſſo viſibili carni & ſanguini myſticum panem & vinũ, ad eum horrorẽ, qui alioquin & nos à diuino cibo, & à potu præterea retraheret conficientes, omnino ſubrogandũ eſſe. Neque ſanè quod idem ſubiicit prętermittendum in agno illo, qui totus in formam crucis expãſus, quippe ab imò ad verticem vſque veru: trãſuerſóque altero obeliſco cõſutis occipiti armis traiectus aſſaretur, Chriſti patibulo affigendi typũ fuiſſe: tũc etiã quod maledictioni aſcriptum eſſet lignũ, poſt benedictionis fore prænuntiãs, cũ Chriſtus pro nobis maledictum factus cruci cõcifigeretur: inſuper altero ex duobus hircis, qui, vt Iuſtinus refert, poſt ſolennẽ ieiunij tempore oblationem, vt piacularis foras exigeretur præſignatus. Verùm Tertulliani hanc figuram aliquantò expreſſius narrantis verba ſubiiciam. *Sic & duorum hircorum qui ieiunio offerebantur faciam, inquit, interpretationem. Nónne & illi vtrunque ordinem nominis Chriſti, qui iam venit, oſtendunt? pares quidem & conſimiles propter eundem Domini conſpectum, quia non alia venturus eſt forma, vt quia cognoſci habet à*

Tertul. aduerſ. Iudæos de ſecundo aduẽt. Chriſti.

quibus

quibus & læsus est. Vnus autem eorum circundatus coccino, maledictus, & consputatus, & conuulsus, & compunctus à populo extra ciuitatem abiiciebatur in perditionem, manifestis notis & insignibus Christi passionis: qui coccinea circundatus veste, & consputatus, & omnibus contumeliis afflictus extra ciuitatem crucifixus est. Alter verò pro delictis oblatus, & sacerdotibus tantùm templi in pabulum datus, secundæ repræsentationis argumenta signabat, qua delictis omnibus expiatis, sacerdotes templi spiritalis, id est, ecclesiæ, dominicæ gratiæ quasi visceratione quadam fruerentur ieiunantibus cæteris à salute. Quibus verbis licet isti cum Iustino probe conueniat duobus hircis vtrũque Christi in terris, & qui ante sesquimillesimum annum fuit in abiectione, & nouissimo die futurus est in gloria aduentũ figurari: mihi nihilominus, sacra scriptura multiplicem quibusque locis allegoriam admittente, Villaganonis primi horum hircorum, qui sorte Domino obuenisset factam in ostio tabernaculi viscerationem ad sacræ Synaxis: alterius verò piacularem extra castra emissionẽ ad crucis mysterium referentis, longè probabi-

lior fuerit coniectura. Nec interea Caluino duas vtrinque oblationes neganti subscripsero, nisi fortè eo sensu quo Melitanus is eques vnicæ illius Christi oblationis, quam Apostolus prædicto loco propitiatoriam innuit, cum in cœna dominica protasim, tum in cruce catastrophen cōstituisse visus est. Cæterùm duas in vna oblationes, pręter quàm quòd duo illa antitypa id clarissimè ostendūt, visceratum seorsim ab emissario, hócque illū priùs offerri solitum fuisse planè conuincitur his scripturæ verbis, *Post quam emundauerit* (videlicet pro peccato oblati sanguine) *Sanctuarium tabernaculum & altare, tunc offerat hircum viuentem, & posita vtraque manu super caput eius, cōfiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius emittet illum per hominē paratum in desertum.* Ab hac igitur leuitica præfiguratione siue vmbra, prout hæc etiam exemplar veri ab eodem Apostolo dicta est, quatenus duo veri & naturales hirci Domino immolabātur, necessariò sequitur, (nisi quidem omnium veteris testamenti figura-

Leuit. 16.

rum

rum complemẽtum in Christo fuisse negauerimus) tam in Synaxi quàm in cruce ipsius purum putum, vt ità dicam, corpus oblatũ fuisse, in hac visibiliter & semel tantùm, vt in illa mysticè ac iugiter: vtraque Leuitarum varias pro genere & caussa sacrificandi oblationes etiamnum discussa veritatis vmbra prorsus referente. Quemadmodũ cũ holocausto, quod in veteri lege pro Deo offerre solebat, integra victima igne absumebatur, humana cupiditate nihil sibi inde, vt Philo Iudæus ait, vsurpante, ita Christus in solius patris humanum genus miserantis honorem crucifixus, suo charitatis igne totus exardescens per se solus, nullo scilicet adminiculo extrinsecus assumpto, redemptionis humanæ vnicum, nec instaurabile sacrum operatus est: secundum quod noui testamenti holocaustum planè gratuita, nullique operationi, præter quàm simplici cordis pœnitudini, obnoxia baptismatis, quasi ex transfixo Domini latere defluentis aquæ, gratia minimè, vti dictum est, iteranda. In reliquis verò Iudaicis, ab holocausto sacrificiis, quæ vel

leuit. 4. 5. 6. & 7.

Philo. lib de victimis.

pro salute, vel pro peccato, personis & hostiarum genere distincta nuncupabantur, humanę cuiusdam operationis in ipso victimæ commanducatu (qualis ferè etiam nunc in sacræ Eucharistiæ perceptione vetustis circa illa cæremoniis, in hac modò Christianas præfigurantibus, dispicitur ratio: nemo nō gratuitam, quæ multis scripturę locis passim diffunditur, gratiam aliò facilè retulerit, quàm quò disertè Paulus, *Non*, inquit, *ex operibus iustitiæ quæ fecimus ipsi nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per IESVM Christum saluatorē nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Cæterùm peccato lapsis nullus omnino ad illud lauacrum, nempe ad gratis datam, hósque à culpa simul & pœna liberantem gratiam regressus: proinde ad alia sacramēta, maximè ad sacram ritè peracta pœnitentia Eucharistiam recurrendum. Quò sanè pertinent superiùs explicata eiusdem Apostoli verba hæc, *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, &c.* Quibus

Leuit. 4. 5. 6. & 7.

ad Tit. 3.

bus proculdubio Eucharistiæ, id est, charitatis seu dilectionis, tum quidem lapsos cum vel sanctis, vt ait ille, ministrant, vel aliud pium Deo præstāt obsequium, *Heb. 6.* in integrum restituentis sacramentum exigit: præcipuè verò Missæ sacrificium, quod & leuitico illi nō tātùm in generali caussa, scilicet Deo pro vniuersis beneficiis gratias agendi, sed & in ipso laudis cognomēto respondet. De quo quidem plura, vel ab aliis accepta, forsitan eo artificio, quo, eadem varia docendi ac disponendi ratione mea vt facerem, exemplo ipsi præbuere, scripturus eram, ni doctissimæ Vigorij Sanctiique cum totidē Satanæ ministris disputationes, quæ paulò pridem, etsi biennio antè habitæ, fuissent, publicum acceperant, sic animum explessent meum, iam vt eo demum defecato non opus habuerim quę ab istis in nos perperam contorqueri solent trita, ex quibusdam diuorum Irenæi & Augustini locis argumēta, validè in eos, prout fortasse potuissem, retorquere. Vnum tamen copiosissimi huius scriptoris, velut Energumenicæ historiæ opportunum,

ſubiungam, quo tantùm abeſt quiſquam dubitet iugi illo ſacrificio dæmones in poſſeſſo quouis corpore cõcuti, vt etiam ab eo, quem infeſtauerint, fundo deiiciantur. *Vir*, inquit, *Tribunitius Heſperius, qui apud nos eſt, habet in territorio Fuſſalenſi, fundum Cubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium & ſeruorum ſuorum domum ſuã ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti cõperiſſet, rogauit noſtros me abſente presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. perrexit vnus, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti orans, quantum potuit, vt ceſſaret illa vexatio. Deo protinuus miſerante ceſſauit.* Acerrimo catholicorum dogmatũ oppugnatore potiſſimis ſuis in nos miſſilibus exarmato, ſupereſt vt præ illo velitantem, ſed interim ea, non vſque adeo teneris infixa mẽtibus, cuniculatim ſubruentem Caluinum profligemus. Ac primùm vtriuſque teſtamenti ſacramenta, id eſt, leuitica noſtris, Bertramo illo præeunte, exęquantem, nihil mouẽt hyperbolica, inquit, apud veteres ſacramentorum encomia: Quale illud Auguſtini, veteris legis ſacramenta tantùm promiſiſſe ſaluatorem

Aug. de ci. Dei. lib. 2 cap. 8.

Calu. Inſtitut. lib. 4. cap. 14. nu. 26.

ſaluatorem, noſtra verò dare ſalutē. Non enim aliud illic voluit Auguſtinus, quàm quod idem alibi ſcribit; Sacramenta Moſaicæ legis Chriſtum prænūtiaſſe, noſtra exhibuiſſe: Fuiſſe illa promiſſiones rerum complendarum, hæc indicia completarum: illa denique rem futuram, venturúmque prædixiſſe, quód hęc noſtra iam veniſſe conteſtantur. Quid autem de re & efficacia ſenſerit, pluribus locis, & eò maximè explicaſſe, quo vtraque inuicem conferens, in ſignis diuerſa, re autem quę ſignificabatur paria, nec immeritò, fuiſſe ait: cum Moſaica illa Chriſto demum in carne manifeſtato complemētum ſuum habuerint. Eundem nanque ſpiritalem cibum, potúmve ſua tum fide patres, vel in cæleſti illo manna mādùcauerunt, vel in aqua è petra profluente biberunt, qualem nunc etiam in Dominica cœna, ſe ſolo fidei beneficio percipere fatentur. Neque alia tādem ratione Auguſtinum tradidiſſe Chriſto reuelato ſacramēta fuiſſe inſtituta numero pauciora, ſignificatione auguſtiora, virtute præſtātiora, quàm quòd veterum illorum effectus vſque ad

Christi exhibitionem suspensus fuerit: cũ hæc nostra suum, simul atque perfecta sunt, effectum sortiantur: quatenus Christi promissionibus in iis contentis haud dubia fide innitimur. Eo siquidem referenda illa gratiarum ac virtutum beneficia, quæ partim sacramentali verbo, partim etiam naturali, quod huic accedit, elemento tribuere catholici ipsi solemus: istis contra asserẽtibus suam illa vim omnem ab eodem verbo, veluti agente accipere. Cum enim Augustinus *Accedat*, inquit, *Verbum ad elementum, & fiet sacramentum:* Verbum intellexit, nõ quod sine sensu & fide insusurratum solo strepitu, quasi magica incantatione, vel in baptismo aquam, vel in dominica cœna panem & vinum, cõsecrandi vim habeat: sed quod prędicatũ intelligere nos faciat, quid visibile signũ sibi velit *Vnde enim*, addit, *tanta virtus aquæ, vt corpus tingat, & cor abluat, nisi faciẽte verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Ex quo, si Caluino credimus, intelligere datur elementũ in sacramẽto, nil aliud quam externi cuiusdam symboli, seu sigilli vicem obire: non inscita inde huius elementi

d. cap. 14. *nume.* 4.

Aug. hom. in Ioan. 13.

cleme̅ti ad ſigillum, quod diplomatibus aliíſve publicis actis appenditur, comparatione: cum id per ſe acceptum nihil ſit, vt pote quod fruſtrà appenſum foret, ſi membrana nihil deſcriptum haberet. Neque ideo tamen non confirmat atque obſignat, quod ſcriptum eſt, dum ſcripto additur. Itaque Paulus circuncíſionem (quam parem iſti cum baptiſmo vim habere volunt) σφραγῖδα vocat: quòd ea Abrahæ non fuerit in iuſtitiam, ſed eius pacti obſignationem, cuius fide fuerat antea iuſtificatus. Cum enim hunc priùs iuſtificatum, poſtea circuncíſum fuiſſe ſcriptura teſtificetur, non aliquo ad iuſtificationem ſacramento opus eſſe ſatis ſupérque argui: Ac quonia̅ Dominus promiſſiones ſuas fœdera nuncupat, ſacramenta ſymbola fœderum, ab ipſis hominum fœderibus ſimile adduci poſſe. Porca, inquit, cæſa quid efficiat niſi verba intercederent, imò niſi præirent? nam porcæ ſæpius cæduntur citra vllum interius aut ſublimius myſterium. Quid dextra data, quum manus hoſtiliter non raro conſerantur? At vbi verba præierint talibus *d.cap 14. nu.6.*

ſanè ſymbolis fœderum leges ſanciũtur, quanuis verbis prius conceptæ, conditę, decretæ. Sacramẽta igitur exercitia ſunt, quæ certiorem verbi Dei faciunt fidem. Et quia carnales ſumus, ſub rebus carnalibus exhibentur, vt ita pro ruditatis noſtræ captu nos erudiãt, & perinde ac pueros pædagogi, manu ducãt. Quod ſi incorporei eſſemus, nobis (vt ait Chryſoſtomus) incorporea hæc ipſa daret. nunc quia corporibus inſertas habemus animas, ſub viſibilibus ſpiritalia tradit: Non quia tales inditæ ſunt dotes naturis rerũ quæ in ſacramentis nobis proponuntur: ſed quia in hanc ſignificationem à Deo ſignatæ ſunt. Veriùs itaque ac ſimpliciùs ſacramẽta externa ſymbola diffiniri, quibus beneuolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones Dominus obſignat, ad ſuſtinendã fidei noſtræ imbecillitatem, & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram apud homines teſtamur. Poſſe etiam maiore cõpendio diffiniri, vt vocẽtur diuinæ in nos gratiæ teſtimonia externis ſignis confirmata, cum mutua noſtræ erga ipſum obſeruãtiæ teſtificatione. Vtramlibet ex his diffi-

d. cap. 14. nu. 3.

d. cap. 14. nu. 1.

diffinitionibus elegerimus, ab illa Augustini, quæ ſacramentum eſſe tradit rei ſacræ viſibile ſignum, aut inuiſibilis gratiæ viſibilem formã, ſenſu nihil differre, rem ipſam melius aut certiꝰ explicare. Quinimò nos redemptionis noſtræ gratiã, ſoli vtique paſſioni dominicæ acceptoferendã, abſurda planè & inepta ratione, præcipuis illis duobus Chriſtianorum ſacramentis tribuere: perinde ac ſi baptiſmus in præteritum duntaxat tempus conferatur, vt nouis lapſibus in quos ab eo recidimus, tanquam exoleta eius vi, quęrenda ſint alia expiationis remedia, neque alia reſurgẽdi ſpe ad propitiatorium, quale, ait ipſe, fingimus, miſſę ſacrificium, ſit recurrendum. Se contra, quod duobus illis interponimus, baptiſmo includere, imò non aliud ab hoc fateri pœnitentiæ ſacramentum. Sic vt quoties quis vitiorũ conſcientia diuexatus baptiſmi indicio, ceu ſacramento, dominici ſanguinis memoriam in ſeſe reuocarit, eadem toties Chriſtum induat, ſéque in illius vnicę ac perpetuæ ablutionis, quã in ſanguinę poſuerit, fiducia confirmet: adeò vt imputa-

d. lib. 4. ca. 15. nu. 3. & 4.

tione quadam, quippe Domino ſua nos miſericordia pro iuſtis & innocẽtibus habente, iuſtitiã, qualis ſcilicet in hac mortali vita obtineri poſſit, apprehendat. Nã d ca.15.nu. 10. & 11. veræ ac ſolidæ iuſtitię cauſſam à ſacramẽtis, velut opere operato ducere, ac ſi per baptiſmum ab originali peccato eximamur, in eámque iuſtitiam & naturæ puritatem reſtituamur, quam Adamus obtinuiſſet, ſi in ea, qua creatus fuerat, integritate permanſiſſet: tum vllam miſſario illo quod dominicę cœnæ non ſine ingẽti (ſi ſuperis placet) ipſius profanatione adiungimus, ſacrificio propitiationẽ ponere: quemadmodum illud fuerit hominis ſibi valdè blandientis, nec, quod omnibus vſuuenire Paulus ait, ſemper in ſe peccatum habitare ſentientis: ſic iſtud perperam leuitica ſacrificia aſſumentis, nec aliqua ea ratione diſtinguẽtis ab hac dominica cœna, hubere nimirùm ad fideles tranſmittente fructũ peracti in cruce ſacrificij, quod in peccatorum noſtrorum expiationem futura illa præſignauerant. Ad id autem, quod, non niſi verbo fide promiſſionis accepto baptiſmũ ſanctificari,

ctificari, sępenumero dixerat, tacitam nostrorum obiectionem ille pręueniens, scilicet huius non dissimilem à Catabaptistis, puerorum baptismum ob nullam eorum quum baptizantur fidẽ irritantibus, videri sententiam: Verùm, inquit, cum in Dei patris, filij, & spiritus sancti, non in alicui⁹ hominis nomẽ baptismũ fieri profitemur, satis eo inclusam de peccatorũ remissione, carnis mortificatione, Spirit⁹ sancti viuificatione, & Christi participatione promissionem innuimus: tum quidem pueris profuturam, quum primum hanc illis fide amplecti licebit. Nec si ii huius fidei expertes in tenella ętate, vt sępissimè, decesserint, in Dei prouidẽtiam continuò debacchãdum, quasi in peccato cõceptis, ac natura Dei iræ obnoxiis, nullus nisi renatis in vitam cælestem pateat ingressus: nec quos Dominus electione sua dignatus est, eos accepto regenerationis signo virtute sui spiritus nobis incõprehensa renouare possit: Eadem nanque opera olim à Deo institutam puerorum circuncisionem reprehendendam, aut certè in illum præmaturi obitus euẽ-

d.cap.15. nu.16.

tum his non inutiliter, ſi modo Dei electi fuerint conferendam. Rurſum catabaptiſtis eundem Ioannis baptiſmum cũ Chriſti baptiſmo fuiſſe inficiantibus, vt inde ſequatur multos Luteranorum & Cinglianorum ſub perverſa papiſmi, ità impurus iſte loquitur, doctrina ſemel tinctos, fore rebaptizandos, quemadmodũ ſemel Ioãnis baptiſmo tincti, Chriſti ipſius baptiſmo à Paulo rebaptizati ſunt.

d. cap. 15. *nu.* 7. *&* 8

Atqui, ſuſcipit, in vnam doctrinam Ioannes & Apoſtoli conſenſerant: vtrique in pœnitentiam, in peccatorum remiſſionem, denique in nomen Chriſti, à quo pœnitentia & peccatorum remiſſio eſſet, baptizarãt. ergò vtrique baptiſmo incluſa eadem promiſſio, tam nobis quàm Ioannis diſcipulis, cumprimùm hanc fide amplecti licuit, prodeſſe cœpit. Quod ſi quis baptiſmatum in hoc vel illo nomine differentiam è verbo Dei quærat, non aliam inueniet, quàm, quòd in eũ qui venturus erat Ioannes baptizabat, Apoſtoli in eum qui iam venerat. Se quidem Ioãnes in baptiſmum aquæ venturum dixerat ante Chriſtum, qui baptizaret ſpiritu

ſancto

ſancto & igni, non vt baptiſmũ à baptiſmo diſtingueret, ſed vt ſuam perſonam cum Chriſti perſona conferret: Se miniſtrum aquæ, illum Spiritus ſancti datorẽ eſſe, & hanc doctrinam viſibili miraculo declaraturum, quo die Spiritum ſanctum Apoſtolis ſub linguis igneis mitteret. Quid, exclamat iſte, Apoſtoli vltra iactare potuerũt? Quid & hi qui hodiè baptizant? Sũt enim exterioris duntaxat ſigni miniſtri, Chriſtus interioris gratię au thor, vt iidem illi veteres vbique docent, imprimíſque Auguſtinus. Proinde, quod ait Lucas, eos qui à Ioanne prius baptizati erant, poſtea in nomine IESV à Paulo baptizatos fuiſſe, intelligendum eſt ipſis baptiſmum Spiritus ſancti, hoc eſt gratias Spiritus ſancti viſibiles per manuum impoſitionem datas, quas baptiſmi nomine ſignificari nõ nouum eſt. Qualiter in die Pentecoſtes recordati Apoſtoli dicuntur verborum Domini de baptiſmo ignis & Spiritus. Et Petrus eadem ſibi in memoriam rediiſſe cõmemorat, vbi gratias illas in Cornelium eiúſque familiam & cognationẽ effuſas vidiſſet. Nec huic

d. cap. 15. nu. 18.

repugnare quod postea subditur. *Quũ imposuisset illis manus, Spiritus sanctus descendebat super eos.* Non enim diuersa narrat Lucas, sed formã narrationis sequitur Hebræis familiarem, qui primum summam rei proponunt, deinde fusiùs explicant: quod ex ipso verborum cõtextu animaduertere quiuis potest, quum dicit, *His auditis baptizati sunt in nomine* IESV, *& quũ imposuisset illis manus, Spiritus sanctus descendebat super eos.* Hac posteriori locutione describitur qualis ille fuerit baptismus. Quod si priorem baptismum ignorãtia, quam in Ioãnis discipulis fuisse hoc ipso colligimus, quod se Spiritus sancti ignaros prorsus respondissent, eousque vitiat, vt sit altero baptismo corrigenda: primi omnium rebaptizandi erãt Apostoli, qui toto triennio vix modicã syncerioris doctrinæ particulam degustarant.

Hæc ex nouissima famosi huius sectarij Institutionum, ab nescio quo Rebulio anno huius sæculi 1561 editione carptim, prout ipse non cominus aut continenter, sed desultoriè magis pugnare solebat, sedulò atq; adeo fide optima transcripsi.

ſcripſi. Aduerſus quem primùm Catabaptiſtas inducam his excipientes verbis, Non in Dei optimi maximi prouidētiam debacchamur, ab eóve inſtitutam puerorum circunciſionem reprehendimus, ſed tibi ſtramineis (vt ita loquamur) ſubſtructionibus in ſummi illius opificis operibus manifeſtam quandam iniuſtitiam aſtruere conanti illudimus. Scilicet is apud quem nulla eſt perſonarū acceptio, quémque iuuat in primis delicti facere gratiam, in pari æquitatis cauſſa, nempe pueris ſtatim à baptiſmo moriētibus, diſſimilem ferret conditionem? horum ille ad ſeſe præmaturo obitu pariter vocatorum, iuſtus alioqui pater, ſua electione alteros bearet, alteros fruſtraretur? Quid? té ne, quominus inde pedem retrahas, diſtinebit ipſa baptiſmi, tantiſper dum ætati ſuccreuerit fides, inutilitas? Tum verò ad ea obmuteſcenti, Agedum, inquient catholici, nobiſcum, illis reſpondeas. Sacramēta nouæ legis gratiam, nec hęc detrectantibus, nec his obicem ponentibus conferre: Quod & neceſſe eſſe ex opere operato fieri, oſtēdit in pueris baptizan-

dis propter ætatis imbecillitatem, nullus omnino corde credendi ad iustitiam, & ore cōfitendi ad salutem vsus. At quibus vice prędis aliena, quippe ecclesię in vniuersum, priuatim verò horum cuiusque susceptoris (quem patrimum vulgò vocant) fides suffragetur. Sanè baptismus speciali nota sæpissimè sacramentū, nonnunquam à Basilio magno sigillum fidei nuncupatur: quatenus & suam ille interioris hominis ab originali actualíve culpa emundandi vim, ab ipso potissimùm verbo fide prolato, vicissimque accepto, sortitur: & accedente naturali aquæ elemento significata emundādi virtus, quēadmodum à sigillo huic insculpta effigies cera, imprimitur. Ac eo quidem vtraque Augustini definitio referēda, nec extorto illo tuo sensu ad simplicē Dei promissionū obsignationē restringenda. Quorsus enim idē re sacra, seu gratia inuisibili abscedente, sacramentū harum visibile signum, seu visibilem formam esse dixisset? Quorsum modò, citato abs te loco, quo sacramentū verbo & elemento confieri tradit, verbi sono transeunte, ipsius

virtutem

virtutem manere continuò subiunxisset? Virtutem, inquam, Dei verbo, nec (sicuti nos irreuerenter de rebus diuinis loquens calumniaris) magica incantatione inaniue labiorũ strepitu ac susurro operatam. Itaque facessat illa tua sigilli ad membranam exscriptam appensi, vti minimè, ad id quod suscipis, apta comparatio, cum admissa eadem non magis scriptum sine sigillo, quam sigillum sine scripto vllius effectus esse coarguatur: ac similiter in baptismo neutrum per se, siue verbum, cui tamen primas deferimus, siue aquam, sed vtrunque simul regenerãdi vim habere profiteamur. Quo etiam spectare videtur, aliæ tuæ fœderum symbolicæ, vel de porca à fœciali cæsa, vel dextra data verbis vtrinque præeuntibus cõparationes. Cæterùm ex eo quòd præterea duo baptismatum sanguinis & flaminis genera constituerimus, nihilo magis caussam tuã adiuuari putamus, si modo Augustini, cui tam multa, nec immeritò, tribuisti, authoritati acquiescas. Is enim non vno loco censuit vel martyrio, vel fide, & conuersione cordis, baptismi August. epist. 108.

Libr. 4. de baptiſ. contra Donati. cap. 22.

vicem tum ſuppleri, quum quis ab externa huius luſtratione temporis aut neceſſitatis articulo excluditur. Proinde latroni cui dictum eſt, *Hodie mecum eris in paradiſo*, non contemnendum aquæ baptiſmum fuiſſe, ſi abſciſſis, quibus cruci alligatus erat funibus, non etiam cruribus, ipſi incolumi ſupereſſe contigiſſet: cùm in hoc, pro meritis facinorum, nec quia credidit patiente, ſed dum patitur credente, multo minus videri poſſet ſuperfluum, vt inſuper aqua tingeretur, quàm Cornelio centurioni, eiúſque ſociis, qui Spiritus ſancti donum accepiſſent. Ac vt idē non ineleganter omnia baptiſmi myſteria martyrio cōpleri affirmauerit: Videlicet baptizandū fidē ſuā corā ſacerdote, martyrē corā tyranno cōfiteri, illum poſt cōfeſſionē aqua, hūc ſanguine intingi: illū manuum impoſitione Spiritum ſanctū accipere, hunc Spiritus ſancti habitaculum effici: illum in dominicæ mortis cōmemorationem Euchariſtiæ communicare, hunc ipſi Chriſto commori: illum ſe mundi illecebris obnunciaturum conteſtari, hunc ipſi vitæ renunciare: illi peccata

Aug. cap. 84. de eccl. dog.

cata omnia dimitti, in hoc eadem etiam extingui: vt denique baptiſmo martyriũ ad conſequẽdam gratiam efficacius duxerit: tamen hunc locum enarrans, *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies: Si dicimus,* inquit, *Apoſtolos aqua nõ fuiſſe baptizatos, metuendum eſt ne grauiter erremus, & demus hominibus authoritatem contemnẽdi baptiſmum: quem vſque adeo ipſa Apoſtolica diſciplina cõmendat, vt Cornelius Centurio, & ij qui cum illo erant, etiam iam accepto ſpiritu ſancto fuerint baptizati. Sicut antiqui iuſti ſi non circunciderentur, non erat eis peccatum: poſteà vero quàm iuſſit Deus vt circuncideretur Abraham eiúſque poſteritas, iam ſi nõ fieret, graue peccatum fuit. Sic etiam poſtquam Dominus Chriſtus in eccleſia ſua ſacramentum noui teſtamenti pro circũciſione carnis ſanctum baptiſmũ dedit, & apertiſſimè dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, nõ intrabit in regnum cœlorum: iam non debemus quærere quando quiſque fuerit baptizatus, ſed quoſcunque legimus in corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, pertinere ad regnum cœlorum, non niſi baptizatos intelligere debemus.* Tãtum abeſt

lib. 13. de ciui. dei. capite 7.

ead. epiſt. 108.

Cornelij, eius sociorum, atque etiã Apostolorum baptismum solius spiritus non item aquæ fuisse tecum senserit Augustinus: vt iis Lucæ locis quemlibet huius, qui quidem sui compos esse queat, voti reum ad consequendam gratiam fecerit. Sed enim nouæ legis sacramenta in eorũ quæ veteris extiterunt ordinem cogenda esse, vel eodem Hipponensi præsule docente affirmas. Quid ergò is, illum Ioannis ad hunc Christi baptismum non pertinere, non alterum alterius vllam partẽ vel gradum facere, non eandem vtriusque aquam fuisse, támque illum ab hoc differre, *atque alius*, inquit, *fuit is baptismus, in quo patres dicit Apostolus baptizatos in nube & in mari, quãdo per Mosem mare rubrum transierunt. Lex enim & prophetæ vsque ad Ioannem Baptistam sacramenta habebant prænũciãtia rem futuram, nostri verò temporis sacramenta venisse contestantur quod illa venturum esse prædicabant*? & aliquãtò pòst, *Quemadmodum Pascha quod à Iudæis celebrabatur in occisione agni prænuntiabat Domini passionẽ, & transitum de hoc mundo ad patrẽ, & ipsum tamen Pascha, quod erat in eadem prænuntiatione*

Cap. 37. cõtra literas Petiliani.

one idem Dominus cũ discipulis suis celebrauit, quando dixerunt ei, Vbi vis tibi paremus Pascha? sic & baptismũ Ioannis, qui erat in proxima eius prænũtiatione, etiã ipse suscepit. Sed sicut aliud est circuncisio carnis Iudæorum, aliud quod octauo die baptizatorum nos celebramus, & aliud est Pascha quod adhuc illi de one celebrabãt, aliud quod nos in corpore & sãguine Domini accipim⁹: sic alius fuit baptismus Christi. Illis enim ventura ista prænũtiabantur, istis cõpleta illa prædicũtur. Et quãuis illa Christus acceperit, nobis tamẽ necessaria non sunt: quia ipsũ qui per hec annũtiabatur, accepimus. recenti autẽ aduẽtu Domini quisquis illa accepisset, opus erat ei vt etiã his imbueretur. quisquis verò his imbutus esset, non opus erat vt retrorsus in illa cogeretur.

Quod autem adiecisti eũdem spiritalem cibum, potúmve sua tũ fide patres in cælesti illo manna manducasse, vel in aqua è petra profluente bibisse, qualem nunc etiam in dominica cœna solo fidei beneficio percipimus, id verò præciso Pauli loco cũ hoc Augustini tam inscitè, quàm perperam vtroque ad verbum relato, fecisse videberis. Is nãque duorum vtique præcipuorum nouæ legis sacramẽtorum

1.Cor.10. typum verbis præferens, *Nolo*, inquit, *vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem spiritualem potũ biberunt. bibebant autẽ de spirituali consequente eos petra. Petra autem erat Christus. Sed non in pluribus beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto*. Quasi dicat Apostolus, vt omnes æquè baptizati fuerimus, æquè Eucharistiam sumpserimus, atque ità rubri maris transacti, comestæque in deserto mannæ figuram impleuerimus: nõ inde tamen præsumenda nobis patriæ cælestis adeũdæ securitas. quemadmodum nec omnibus illis Iudęorum patribus, ex eo quòd rubrum mare pedibus transiissent, & mannam manducassent repromissionis terram adire contigit: cum plures in deserto perierint. Animaduertendum est igitur tuũ illum sensum ad hunc Pauli locum nulla, ad inter se genere diuersa, pronominum relatione iuuari, vt eundem Israëlitæ patres, qui nunc Christianis in ecclesia porrigitur, cibum potúmve

túmve ſumpſiſſe, verùm vt eundem cœli rorem, & fluentem petra laticem Dathã & Abiron viri nequiſſimi, quem optimi illi patres Caleb & Ioſue, diſſimili interim euentu, hauſiſſe intelliguntur. Quod & dubio procul faciũt illa Chriſti verba, *Amen amen dico vobis, non Moſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*. Ioan. 6. Nec te ſpiritalis ea ad eſcam, potum, petrámve Horeb adiectio, à germano ſcripturæ ſenſu dimoueat, cũ, inibi ſubiiciente Paulo, hęc omnia illis in figura contigiſſe fateri ſubigamur, mannam, aquam, petram, virga Moſis ictam metonymicè, & eatenus ſpiritalia dicta fuiſſe, quatenus verè ſpiritalem dominici corporis cibum, eiúſque ſanguinis potum, ſed & ipſum omnium bonorum, maximè ſpiritalium, largitorem Chriſtum præfigurarẽt. Rurſum quod ad vtriuſque legis ſacramentorum exæquationem velut argumento ſubieciſti, tam Ioannis quàm Chriſti baptiſmata in pœnitẽtiam & peccatorum remiſſionẽ inſtituta, neque aliam horum differentiam è verbo Dei quærẽdam, quàm quòd in eum qui

venturus erat Ioannes, Apoſtoli verò in eum qui iam venerat baptizarent: Ioannem aquæ miniſtrum, Chriſtum Spiritus ſancti datorem eſſe, præter quam quòd partim ex ſuperius allegatis illa confutauimus, ad hoc proprium huic diſputationi Lucæ locum ſubiungemus: *Si Spiritũ*
Acto. 19. *ſanctum*, rogat Apoſtolus, *accepiſtis credentes?* Fortaſſis ſui huius rogati nõ neſcius, quod ab exceſſu Domini neminem coapoſtolorũ huic anteuertiſſe intelligeret, qui Diſcipulos Epheſi cõmorantes Chriſti baptiſmo tinxiſſet: verùm vt ab illis eius quod nõ habebãt, móxq; petituri erant, confeſſionem exprimeret: *At illi dixerunt, Sed neque ſi Spiritus Sanctus eſt audiuimus: Ille verò ait, In quo ergo baptizati eſtis? qui dixerunt, In Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus, Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ in eum qui vẽturus eſſet poſt ipſum vt crederẽt, hoc eſt in IESVM.* Itaque illi ſibi priorem Ioannis baptiſmum ad ſalutẽ ſufficere rati, ac ne auditum à ſe quidem Spiritum Sanctum, quò credentibus gratia conferretur, ingenuè faſſi, ſtatim ab Apoſtolo edocti ſunt huius illum aliquãtiſper

tisper præparatorium, cæterò imperfectũ baptismum fuisse, etsi is pœnitẽtiæ in remissionem peccatorum nuncuparetur, quatenus in meris pœnitẽtiæ finibus Ioannis prædicatio consisteret, ad eámque respiceret, quam minimè ipse, solùm venturus post eũ Christus dare poterat, peccatorum remissionem. Sic vt rectissimè à diuo Chrisostomo, hinc pœnitentia prioris, illinc remissio posterioris baptismi opus censeantur. Sequitur: *His auditis baptizati sunt in nomine Domini IESV: & cum imposuisset illis manus Paulus, venit spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Magno nobis inde documẽto (vt idẽ diuus annotat) hoc posteriore baptismo tinctos perfectè à peccatis suis omnibus purgatos fuisse, cũ nõ aliàs, nec tam citò illi Spiritus Sancti dona & charismata assequuti fuissent. Ex quo intelligitur quàm alienus ab eo sensu fuerit, quem, huic alibi caussam afferenti, cur nouæ legis Sacramenta nobis sub nudis ac corporeis signis exhibeantur, imponere videris, subinde negando tales iis rerum naturis quæ sacramẽtis proponũ-

Chrysost. hom. 40. in acta apost.

tur dotes inditas fuisse, vt id quod exterius significant, interius præstent: tantùm vt diuinas promissiones nobis extrinsecus, velut addito membranæ sigillo, obsignēt. Quid igitur (vt qua fide ipsius ibidem verba abs te referantur quiuis perspiciat) dicenti verbo, *Hoc est corpus meū*, etiamsi corporei sensus reluctētur, haud dubiè assentiendum esse, nihilque sensibile Christum suis illis Sacramentis præstitisse, solùm per rem sensibilē quid intelligibile, vtpote per aquam ipsum regenerationis ac reuocationis donum cōtulisse professus est? Atque hic locus postularet, vt de quinque reliquis à baptismo & Eucharistia Sacramentis contra istorū vesaniam dissertarem, nisi præcisa quodāmodo huius Alexicaci, tāquam, quod initio præfatus sum, Energumenicæ historiæ deseruiētis, ratio mihi huc properanti manum (vt ita dicam) iniecisset. At enim quicquid rituum ac cæremoniarū catholica in ecclesia nūc etiam obseruari videmus, non humano quidem id inuentu nuperum, immò vero Apostolica traditione vetustissimum esse iudicabit quisquis

quiſquis eccleſiaſticam illius Areopagitę Hierarchiam perlegerit, ſed quam, quaſi aliud agens, nimirum de altera Hierarchia loquens Caluinus, itidem, nec immerito meræ garrulitatis ac nugatoriæ cuiuſdam ſapientiæ inſimulet: ſcilicet is alioqui de ſummo illo, quem tum Geneuæ, ſine vlla ſacrorum, quos idem exactè deſcripſit, ordinum initiatione gerebat, pontificatu excludendus, & in Agarenicum vbiuis gentium Caliphatum (vt ita loquar) relegandus. Danda porrò iſti, vt quoque cęteris eiuſmodi tenebrionibus, venia, quòd ſuas aduerſus tantũ, ſolóque titulo verendum authorẽ nouitates quoquomodo tueri conentur. Sed interim Eraſmum mirari ſubit, in cẽſendis quotquot veterum theologorum ſcriptis plus ſatis ingenioſum, prȩſertim de hiarchicis iſtis ſic loquentem: *Laurentius hoc loco refellit eorum opinionem, qui putant hunc Areopagitam fuiſſe eorum librorum authorẽ quos habemus de Hierarchiis ac diuinis nominibus, & eundem eſſe qui apud Lutetiam Pariſiorũ martyrio fuerit Laureatus, in tribus Dionyſiis, ni fallor, vnum reddentes. Primùm Areopagitæ iu-*

Inſtit. lib. 1 ca. 14, nu. 4

Adnot. in Act. Apoſtol. cap. 17.

dices erant, non philosophi. At isti Dionysium summum faciunt philosophum, qui in eclipsi Solis deprehẽderit periclitari rerum naturam: cum consentaneum non sit eas tenebras Athenas vsque peruenisse. Nam, quod ait Euangelista, tenebras factas super vniuersam terram eius regionis terram intellexit assentiente & diuo Hieronymo, & asseuerante Origene in homiliis quas scripsit in Matthæũ, vbi planè negat eas tenebras è Solis accidisse deliquio, sed aut nubibus intercedentibus, aut alioquin aëris densitate coacta. Quod si hæ tenebræ tanto spatio contigissent per vniuersum orbem, aliquis certe seu Latinus seu Græcus author huius rei meminisset. Iam epistolam super hac re Dionysii nomine confictam ridet Laurentius. Quídni, inquã, rideret ridiculus vterque, dum illa epistola pro Dionysio & Apollophane Heliopoli peregrinantibus, eosdem noctuas Athenis insolentem eclipsim demirãtes facit, præ nimia interim alios carpẽdi auiditate in Sole, quod aiunt, meridiano caligans: Verba sunt, *Ab eo autem quære quid sentiat de defectione Solis, quæ cum Seruator in crucem actus est extitit. Eramus enim vna ambo, & stabamus ad Heliopolim, & cernebamus*

Dionys. epistol. ad Polycarp.

nec

nec opinatò, cum Luna ſe Soli obiiciebat, neque enim coniunctionis tempus erat, rurſúſque cum eadem ab hora nona ad veſperam ſe mediæ Solis lineæ præter naturæ ordinem opponebat. Redige autem etiam aliquid aliud ei in memoriam. Scis enim etiam obiectum ipſum à nobis viſum eſſe oriri ab ortu Solis, & ad Solis extremum peruenire, deinde euaneſcere, rurſúſque non ab eadem parte Solis, & obiectum & receſſum euenire, ſed ab ea quæ (vt ita dicā) ex diametro erat contraria. Hæc ſunt mirabilia illius temporis quæ Chriſtus author rerum omnium efficere ſolus poteſt, qui facit magna & mirabilia quorum non eſt numerus. Ea ſi fas tibi eſt, & ſi potes Apollophanes refelle etiam contra me, qui tum ſcilicet tecum & adfui, & aſpexi, & exquiſiui omnia ſumma cum admiratione. Tum quidem etiam diuinare haud ſcio vnde Apollophanes cœpit, & mecum, quaſi ea quæ fiebant conferens, hæc dixit, Sunt iſtæ Dionyſi diuinarum rerum viciſſitudines. Quibus verbis planè aſtruitur nō nubilo vel craſſo aëre, vt ab Origene, aut Sole radios ſuos retrahēte, vt ab Hieronymo, obſcuratum orbem, verùm mirabili lunæ interuentu extra coitus tempora, nec primùm ab ipſa parte occaſus

Origen. homil. 35. in Matth.
Hierony. in Matth. 27. cap.

(vt in naturalib⁹ deliquiis aſſolet) ſed exortus obductũ Solem fuiſſe. Ab hora verò nona lunam ex aduerſo (poſteaquam huius radiis auerſa, ſeſqui altera ad ſummam in aliis defectibus mora ſubſtitiſſet, & occulta inde migratione pauliſper euanuiſſet) apparuiſſe. Se quippe in mediã Solis lineam à qua deſilierat reſtituiſſe, ac retrorſus ad Orientem, vnde venerat, flexiſſe, tantiſper dum veſpertini ſoliti in hoc hemiſpherio curriculi metam attigiſſet. Quale quidem lugubre Chriſti obitus indicium læto huius ortus indicio collatum mihi vero ſimilius, tum Siderale vtrunque philoſophíſque factum quouis alio auguſtius, maximè autem cõſentaneũ diuinæ maieſtati videatur, ad quã veluti præpotẽs philoſophia iam pridem animo (quod ſtultos Aloidas corpore inſtitiſſe ferunt) cœlos peragrata, ſubinde cum ſuis Magis, nõ indidem eius quæ illis præluxit ſtellæ ortũ referentibus, cúmque ſuo Dionyſio, hãc eclipticam aſtrorum conuerſionem ſtupenti, acquieſcat. Verùm Origeni atque Hieronymo demus, expanſis Chriſtum brachiis ferru-

Ariſt. de cœlo & mũdo in princ.

Orige. d. homil. 35. Hiero. in d. cap. 27.

gineas, ſeu palpabiles tenebras non vbique terrarum, tantùm Hieroſolymis ac reliquę Iudęorum habitationi offuſas fuiſſe, quemadmodum extenta Moſis dextra idem multo antea, præter habitatam Iſraëlitis regionē accidiſſe legimus, nón quoque iuxta propoſitum ſparſas vndique Synagogas, præſertim Iudææ cōterminas (qualis Leotonpolis Heliopolitanæ extructo ab Onia templo celeberrima) eiuſmodi tenebrarum participes eſſe oportuit? Quanquā quid attinet, vel ſcripturæ teſtimonio vniuerſas, extorto ſenſu locis quibuſdam circunſcribere? Has igitur prodigioſa Solis defectione contigiſſe Chryſoſtomus & Auguſtinus aſſeruerunt, nihil admodum verētes eius ſuſpicionis, quam ab gentilibus philoſophis in noſtros metuit Hieronymus, quaſi hi plena, vti ſemper in Iudæorum Paſchate, Luna per rerum naturam id impoſſibile factu ignorarent. Quod ſi ſacrorū librorum fidem profanorum authoritatibus comprobare licebit, núm falſo Origenes Euſebiúſque locupletem eius eclipſis, ſimul hanc conſequuti ingentis terræmo-

Exod. 10.

Ioſeph. lib. antiquit. Iudaic. 13. c. 6

Chryſoſto. homil. 89. in Matth.

Auguſt. epiſt. 80.

Hierony. in d. ca. Mat. 27.

Orige. d. homil. 35.

Chron. Euſeb.

Tertul. Apolog. ca. 21

tus testem Phlegonta citarunt, aut impudenter Tertullianus Romanis cũ mũdi casum tanquã in ipsorum archiuis relatum obiecisse putandus est. Qua de re plura apud Budæũ nostrũ miram ethnici de rebus Christianis silentij cõiurationẽ ex nõnullis eorum temerè obiterve scriptis detegentẽ comperias. Interea verò, quod prius à Roterodamo obiectũ penè præterieram, non modo Areopago quõdam vrbi philosophorum nutriculæ presidenti, sed & huic amplissimo ordini alteras Athenas incolenti iniurium putẽ, nullũ in tot iudicum sellis relictum philosophis locum, nullos encyclio politos iudices vtrobique repertos, perinde quasi Iuris prudẽtiæ nostræ non omnes aliæ artes ancillentur, nec verissimũ sit, quod ait Vlpianus, in hac nos Germanã miniméque affectatam philosophiã profiteri. Sed iam reliqua istius censoris verba discutiamus. *Mihi non videtur,* inquit, *priscis illis temporibus tantum fuisse cæremoniarũ quãtum ille describit, deinde mirum si tam priscus author fuit, à nemine veterum seu Græcorũ seu Latinorũ fuisse citatum: non ab Origene, non ab Chrisostomo*

Bud. lib. 4 de Asse.

D. de inst. & in li. 1.

d. adnot. in ac. Ap. cap. 17

chryſoſtomo, ne ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatum reliquit. Quin & Gregorius ipſe vir probæ fidei citans huius literas, non indicat eum fuiſſe Dionyſium Areopagitam. Porrò cum in Eccleſiaſtica hiſtoria crebra fiat mentio de libris Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi, nō eſt probabile taciturum fuiſſe Euſebium de tanto Pauli diſcipulo, ſi tantum voluminum reliquiſſet. Hieronymus in catalogo ſcriptorum illuſtriū vnum aut alterum Dionyſium recenſet, huius libros non recenſet. Quid iſthuc, quæſo, argumenti? Hierarchicorum ceu Dionyſij librorum, hîc, aut illic non meminit, ſunt igitur ij ex legitimorum eius albo eradēdi. Imò verò ad prædictam Ethnicorum coniurationem maius hæreticorū in orthodoxis libris occultandis vaframētum acceſſiſſe cum Anaſtaſio Apoſtolicæ ſedis Bibliothecario arbitror, ac per id ſtetiſſe quominus ante Gregorij primi tempora paſſim Areopagitæ librorum mentio fieret. At quorum teſtimoniis diuus Sophronius ferè octuageſimo poſt ſummum primi eiuſdem pontificatum anno Patriarcha Hieroſolymitanus frequēter vſus eſt, cum ſibi perſuaſiſſimū eſſet hos

Anaſtaſ. præfatio. ad Carolū Regem in veteres ad Dionyſ. libros cōmētarios.

6 Conſtantinopol. con. actione. 11.

libros Dionysij esse, & huius Dionysij quem Paulus ex Areopago ad euangeliũ vocauerat. Quinetiã, id quòd Erasmus ait Origenem nusquam horum meminisse, vanissimum fecerit sublimior huius loci,

Orige. in diuersos homilia. 2.

In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, quàm vt de illius operibus à Ruffino diui Hieronymi coætaneo è Græca in Latinam linguam versis detrahi possit, enarratio. Sed neque breuissima illic censura,

Censura Erasmi de homil. in diuersos,

quæ ab isto vel adulterata vel contaminata sunt aperit Erasmus, vtique in id vitium prolapsus quod alteri impingit, veluti nihil eorum quæ in Leuitica Origenis commentatione sustulerat, aut de suo adiecerat speciatim indicãti: Verùm

Censura super Leuit.

in suppositione proprij ad hunc euangelicũ loci subtilius esto Ruffini suo ipsius ingenio commẽtum: stabit interea eiusdem Hieronymi æuo, nempe à Ruffino Origenis homiliarum interprete laudatas fuisse sub magni Areopagitæ nomine Scriptiones, quas etiam aliquanto priùs,

d. homil. 2. in diuersos.

quippe in Gregorij Nazianzeni manus peruenisse ex aliquot tralatitiis huius locis, quibus magnã Hierarchiarũ ac Diuinorum

uinorum nominum titulis fidem accommodat Budeus, coniicere licet. Proin desinat Erasmus has vt commentitias auersari, ac potius secum reputet tãtúmne sui laboris & industriæ, quantum iis componendis assumptũ est, alterius laudi & nomini ascriberet: tum periculosissimi exẽpli, nec ab inueterata hæreticorum perfidia alieni, esse ducat, in re sacra potissimùm, imposturã facere. Se nanque, quisquis ille suis censoribus tandem futurus est, planè profitetur cum Petro Apostolorum Coryphæo, Iacobo fratre Domini, aliísque sanctis conuenisse caussa videndi eius, quod authorem vitæ susceperat, id est virginei, quo Christus incarnatus fuerat, corporis, quale vel reuerens scriptor, non, vt commune quodque aliud mortui hominis, cadauer appellare sustinuit. Iam quod ad illam censuram Magdeburgici, verè cuiuslibet in ecclesiastica quaque historia synceritatis compilatores addiderunt, absurdissimum sibi videri hierarchicum authorẽ, si diui Pauli discipulus fuisset, ne vno quidem loco tam benefici præceptoris perceptæque

Bud. in cõ. ling. græca. verbo ἐλλάμπομαι

Dionys. de diu. nom. cap. 3.

Centuria 1. lib. 3. ca. 10.

ab eo doctrinæ meminisse: deinde plus ecclesiasticorum ordinum quàm priscis illis temporibus fuerit ab eo descriptum: sed & monachorum, quos enumerat, lõgè posteriorem fuisse originem, quàm vt minimè indicat, ita nec Apostolicè sentit, quòd eorum ordinem vt longè subliniorem & excellentiorem reliquis commẽdet: nullum denique ex Apostolis aut eorum discipulis, tam de industria lusisse in tradenda ecclesiastica doctrina subtilibus, imò intricatis, ac præter authorem vix alij cuiquam explicabilibus speculationibus & argutiis: hinc maximè reuincitur sibi superbiùs ipsos Hierarchicorũ librorum, quos ne primoribus quidem labris degustarint, iudicium arrogasse: sed neque singulare alterius horum (quale etiam titulo præfertur) ecclesiasticas quasque cæremonias recensendi argumẽtum perspexisse: quorum porrò suppositionẽ ex non indicata monachorũ origine prępostere colligunt, cum eandem magis ex certissima Augustini regula ad Apostolicam, aut eius instar traditionẽ referre debuerint. Enimuero Philo Iudæus non alio

Can. Illa autem. dist. 12

lio nomine ab Hieronymo inter ecclesiasticos scriptores annumeratus est, quàm quia, inquit, *librum de prima Marci euangelistæ apud Alexandriam ecclesia scribens in nostrorum laude versatus est, non solùm eos ibi, sed & multis quoque prouinciis esse memorans, & habitacula eorum dicens monasteria. ex quo apparet talem primùm Christo credẽtium fuisse ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, vt nihil sit cuiusquam proprium, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuiduntur, orationi vacatur & psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ, quales & Lucas refert primũ Hierosolymæ fuisse credentes.* Sed cuius fides eo nomine in dubium reuocetur, quòd veluti commentus sit Philonem de Christianorũ, nec potius Iudæorum secta aliqua locutũ. Verùm id ea ipsius Iosephi huic genere & tẽpore æqualis authoritate refellere prõptum sit. Is enim Iudæos patriæ sapientiæ studiosos iã inde à multis retro sæculis in tres sectas, quippe Essæorum, Saducæorum, & Pharisęorum diuisit: nusquam autem eorum, qui à vita contẽplatiua Theurapentæ vocabantur meminit, quos tamen ab Essęis

Hieron. catalo. Script. eccle.

Ioseph. antiq. Iudaic. lib. 16. ca. 2.

Philo lib. de vita cōtemplа. in principio.
Niceph lib. 2. cap. 16.

tanquam vitam actiuam degētibus apertè Philo distinxit, sicque horum viuendi morem ac munia descripsit, vt hinc mihi rectissimè Nicephorus tot regulariū, quæ in hodiernum vsque diem perdurant, sodalitatum originem retulisse videatur. Atqui non minus perpendendis catholicorū scriptis oscitantes isti quàm iis cauillandis impigri, Hierarchici illius summū quempiā ordinē in laicis monachis (cuiusmodi plures ab ipso nascētis ecclesiæ exordio, cum in Græcia ante Basilij magni, tum in Italia ante diui Benedicti tēpora fuerunt) constituentis verba ad Sacerdotalem inscitè transtulerūt. Quibus, (hanc interim, velut caussantibus inexplicabiles illic argutias, demus veniā) si præterea eiusdem ad Demophilum monachum epistolam legere contigisset, huic sacrosancto planè subiectum monasticū, vti propiùs ad populum quàm ad ecclesiasticos seu clericos accedentem intellexissent: tum eo nomine monachum vehementer ab illo diuina magis quàm humana spirāte eloquia increpitum, quòd quendam sacerdotem, quem vel à mini-

stro

ſtro corrigi ac reprehendi nephas eſſet, primùm colapho capiti eius infracto, deinde calcibus, longè presbytero & Diacono inferior ipſe, detruſiſſet. Deus bone quantas dicendi faces hæc legentibus iſtorum oculis admouiſſet, iam quibus nil tam euangelio (cuius ſe titulo etiàmnum ſtolidè venditant) cõtrarium, quam temerariam eccleſiaſtici, cum docendi, tum corrigendi, qualem ſibi vel profani confuſis ſubinde ordinibus arrogant, muneris functionẽ oſtendiſſet? Quid docendi? imò omnem Chriſti eiuſque Apoſtolorum doctrinam reformandi, ne dicam euertendi. Quid corrigendi? imò quoſcunque fortè offenderint catholicæ eccleſiæ miniſtros occidendi. Verùm cum eodem Demophilo ſe non ſuas, ſed Dei iniurias vlciſci aiunt. *At quos*, inquit ille, *conatus nemo imitari debet, non approbabimus, ne ſi millies quidem Phinees & Heliam repetas. Hæc enim audienti IESV, diſcipuli, qui tum clementi benignóque ſpiritu carebant, minimè placuerunt*. Haud igitur mirandum ſi tandiu eóque amplius vellicandis iſtiuſmodi cenſuris moratus ſum, quò ſtudioſiùs

ſti, diuini illius ſcriptoris, tanquam longè à Dionyſij Areopagitæ tẽporibus remoti, authoritatem defugiunt, nec ſecus ac validum diruendæ tot ſuarum nouitatũ maceriei arietem in tantum declinant, vt id, quod eſt in omnium cõſpectu, negare non erubeſcãt. Nam cui, vel modo nuncupatum Hierarchiarum Diuinorúmq; nominũ titulis Dionyſium delibanti, non ſtatim occurrat, ex his quę antea diximꝰ, illum diui Pauli Synchronum, ac pręterea cum beatis Timotheo & Hierotheo diſcipulum? Timotheo, inquam, cui tum eoſdem libros ille, tum duas doctor ipſe gentium epiſtolas conſcripſit? tribus ſcilicet hunc communem & præceptorem, & ſacrorum initiatorem, hoc eſt, baptiſtã fuiſſe? Ne quis interim me allucinatũ putet, idcirco quòd Dionyſius ſuum quoque præceptorẽ Hierotheum nec ſemel, nec ſine honorifica pręfatione agnoſcat, nunc diſertè ab iſto ſe poſt diuinum Paulum edoctum affirmans, nunc ſubinde citatis inſignioribus eiuſdem Apoſtoli locis, quem ſibi ſuóque præceptori Hierotheo cõmunem Solem intelligat, palàm

cap. 3. de diuinis nominibus.

Ibid. cap. 3.

Ibid. cap. 7.

&

&c apertè innuens. Sed enim magis istis censoribus suo, nimirùm quòd à primo apostata didicerũt, mẽtiẽdi munere probè defunctis, quàm prioribus illis (quod vel Vallæ vel Erasmi pace dixerim) puto ignoscendum. Ac de hoc non immeritò fortasse dictum sit, peperisse ipsum oua quæ postea Luterus maximo reipublicæ Christianæ detrimento excluserit. Adeo suis familiaribus colloquiis, Morię encomio, Paraphrasibus, in ridenda patrum simplicitate, eleuãda operum nostrorum fiducia multus fuit, vt facilẽ inde ad Luteranismum aditum iuuentuti nostrę, suopte nutu ad libidinem pronæ, ideóque quoduis moralis disciplinæ iugum excutienti fecisse videatur. veruntamen penè moriẽti Roterodamo cygneam quãdam de corporis & sanguinis dominici in Eucharistia veritate ac præsentia vocem sic excidisse fatemur, vt nequaquã (quod de Origene & Tertulliano proditum est) sequẽti errore prioribus suis scriptis authoritatem detraxisse, immò potius quæ, cõstanti scripturientibus more, effutiuerat, procedente ætate, non eadẽ planè retra- *D. Hil. in cap. 5 Matt. Vincent. Lirin. lib. aduers. hæreses.*

ctando, ſed interpretatione leniendo re-uocaſſe cenſeatur. Et quidem (vt iſtorum artes, quibus duodequinquageſimo ab hinc anno ſua modicis fota fauillis in tātū propagarint incendia ſummatim percurram) principio Luterus in Cleri perditos mores & abuſus grauiter inuectus, magnum ſibi vulgò hominum fauorem conciliauit, ſimul in non modicā doctorum vndique dignationem peruenit. Ac quanuis rebus nouādis falſa pleraque veris inuoluens obſcurè iaceret, tamen ſub hac exceptione, qua ſe ſuáque omnia cū dicta tum ſcripta catholicæ eccleſię iudicio atque poteſtati permittebat, quamlibet impietatis ſuſpicionem tādiu effugit, donec populari, quam ductim captarat, aurę confidēs, nō iam cuniculis, vti cœperat, verum aperto marte ciuitatē Chriſtianam aggreſſus eſt. Quinetiam huius apicem, nempe catholicæ ipſius eccleſiæ authoritatem, vt infringeret, nóſque pręcipuo configendis hæreticorū erroribus telo exarmaret, eadem ferè, qua olim Donatus, aſtutia vſus eſt. Is enim falſæ accuſationis nomine, quam graui ęmulatione in

Vide Cochleū in principio ſuæ hiſtoriæ.

Auguſti. epiſt. 50.

in Cecilianum ob ei delatum Carthaginensem Episcopatum intenderat, ab ecclesia damnatus, eludendi iudicij gratia sic ecclesiam restrinxit, vt eam penes pios tãtùm, cuiusmodi suæ factionis homines esse, nec in iis consistere diceret, qui boni alioquin, at malorum societate commaculati à Ceciliani partibus stetissent. Quod idem Lutero Pontificiis diris exacerbato vsuuenit: nimirùm vt ecclesiam in prædestinatorum cœtu concluderet. Quo velut seminario Anabaptistarũ omnes alios à se ecclesia extrudentium furor erupit: secundum quem non difficile fuerit suis illos præscriptis ab hac propellere. Nam quotus quisque eorum ità sobriè castè, & temperãter viuit, vt se in electorum numerum conscribere audeat? fiduciam istam mortalium cuique fugiẽdam (vt hoc vno pro multis insigni exemplo defungar) tunc iusti, cum in Regem inũgeretur, Saulis tristior euẽtus declarauit. Quanuis enim, vt in quodã Concilij Tridentini decreto habetur, nostræ tẽpestatis hæretici, hanc inanem & ab omni pietate remotam fiduciam, magna contra

Vide Sleidanum cũ Cochlæo in princ. libr. suorum.

De iustificatione cap. 9

ecclesiam catholicam contentione prædicent, asserentes oportere eos qui verè iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos: neminémque à peccatis absolui ac iustificari, nisi eum qui certò credat se absolutum & iustificatum esse: atque hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, déque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet: nemini tamẽ fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum iactãti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, déque Sacramẽtorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dũ se ipsum, suámque propriam infirmitatẽ & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cũ nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Ac quidẽ nobis quamuis imperfectis, sed in ecclesia propter orthodoxã professionem manentibus eleganter Ser-

uatoris

uatoris nostri de reticulo mari immisso, agro zizaniis infecto, area desectis spicis constrata, parabolæ adeo suffragantur, vt absurdis sui illius præceptoris assertionibus pudefactus Melãcthon, minimè eos errones laudandos esse fateatur, qui ad nullam visibilem ecclesiam se adiungũt, cum nusquã talem ideam inuenturi sint, in qua nõ desyderetur aliquid, aut in moribus, aut in disciplina. Similiter Caluinus in vitę imperfectione toleranda longiùs indulgentiam nostrã procedere debere ait, quàm sentiant ij, qui falsa absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, tãquam aërij quidam dæmones iam facti sint, omnium hominũ, in quibus adhuc quicquam humani subesse cernunt, consortia aspernãtur: aut dum apud eos, quibus Euangeliũ annuntiatur, eius doctrinæ non respondere fructum vident, nullam illic ecclesiam esse statim diiudicãt. Hactenus isti rectam insistere viam, mox ad lęuam deflectere, ac eundem cum Lutero in dissimili sententia scopum petere visi, dum ecclesiam soli euãgelio, nec ad ordinariam Episcoporum & presbytero-

Melanct. in locis cõmu. cap. de eccl.

Calui. inst. lib. 4. cap. 1 nu. 13.

rum, qui ministeriũ tenere dicuntur, successionem alligatam esse: Itaque non aliis signis quàm syncera euangelij prædicatione legitimóque sacramẽtorum vsu demonstrari posse contendunt. Cæterùm rogantibus nobis in quem demum compromitãt arbitrum vtri solidũ eius quod vna quæque pars sibi vendicet addictum? Respondeo, inquit Melancthon, ipsum Dei verbũ est iudex, & accedit confessio veræ ecclesiæ. Cuius autem veræ, an cælestis illius quam triumphantẽ vocamus? quandoquidem de militanti inter nos & illos adeo discrepat? Satius enim est vt id autumemus quàm eidẽ verbo de cuius sensu valde disceptatur pariter controuersum demus assessorem. Ergò Melancthonis sententia non priùs visibilem ecclesiam habituri sumus, quàm in cælis Christum sui illius verbi fidelissimum nacti erimus interpretem. Tametsi Caluinus pro solita sua æquitate nunc quoque nobis quãlibet Antichristi (hoc enim titulo Papam sępius vellicat) tyrannide oppressis locum in ecclesia aliquem concedat. Quasi vero velit hęreticos, cuiusmodi

Melanct. d. cap. de ecclesia.

Melancth. Ibidem.

tuſmodi nos eſſe cenſet, vllum ad huius gremium habere receptum, aut non ſibi potius, quàm ei qui iuge Chriſtianorũ ſacrificium vſque tuetur, Antichriſti nomẽ cõueniat? Verùm egregiis veteratoribus non alia re magis propoſitum aſſequi libuit, quàm Pontificum noſtrorum inſectatione, quò citius plebem ſuopte nutu doctrinam à doctorum vita & moribus metiri ſolitam (licet contra horum dicta non item facta ſequi oportere Chriſti ipſius voce moneamur) ab omni officio deducerent. Scilicet interea nullum eccleſiaſtici quique proceres obtrectatoribus locũ reliquere! aut iuſta ſui muneris functione recta, quibus huic malo occurreretur, compendia quæſiuere! Sed non idcirco Chriſtiani hominis arbitrer, quid in illos atrociter & cõtumelioſè dicere, præclaro Pauli Apoſtoli documento, qui à ſe velut imprudente factum in Ananiã mitra tenus Pontificem conuitium excuſauit: ac ipſum, quamuis inane nomen (vt diui Cypriani verbis vtar) & quandam vmbram ſacerdotis cogitans expauit. *Neque enim* (ſubdit ille) *hæreſes aliunde obortæ ſunt,* *Lib. 1. epiſt. Epiſto. 3.*

aut nata schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret, nemo dißidio vnitatis Christi ecclesiã scinderet, nemo sibi placens & tumens seorsim foris nouam hæresim cõderet, nisi si ita sit aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis vt putet sine iudicio fieri sacerdotem. Qua quidem fideli verborũ antiquitate, quid hoc tempore præsentius accommodatiúsve? quid in totius modò christiani sacerdotij euersores luculentius? Atqui excipiet Caluinus omnino sibi ab ea ecclesia recedẽdum fuisse, quam necesse erat sublato fundamento, quippe prophetica & Apostolica doctrina sub Papisino inuersa, prorsum corruere. Ad hæc prolixè spondebit perpetuam illam Episcoporum, quam diui Irenæus & Augustinus tãti fecere, successionem facturum se vt friuolam ac planè ludicram esse ij

Cal. d. lib. 4. cap. 2. nu. 1. & 2.

d. cap. 2. num. 2.

ſe ij intelligant, qui ſecum paululum expendere volent. quidni paululum, ſi eandem penitus ab humanis, quæ loquaciter iſte, nec ſine exaggeratione in vulgus deblaterauit, præſulum noſtrorum vitiis expenderint? Rectiùs multò Thuſcus ille fabulator, quum Iudæum piis cuiuſdam cohortationibus, non priùs audientem fingit, quàm Romam adiiſſet, ac nihilo inde (quod vnũ ſuus hortator in primis verebatur) alieniorem à religione noſtra, quin confirmatiorem in ſuſcipienda eadem factum, quòd hanc tantis columinum eccleſiaſticorum flagitiis minus labefactari cerneret, proin diuina ſolummodo virtute ſuſtẽtari iudicaret. Nec verò diuus ille Rex Ludouicus Tartari principis oratoribus Cyprũ, quo fortè Hieroſolymitanæ ſuæ expeditionis curſu procellis interrupto ſubſtiterat, naue aduectis cæptam peregrinationem per infeſti itineris cauſſam diſſuaſiſſet, niſi Roma, iã tum ſacrorum omniũ mancipe, plus neophytis illis quàm ſibi offuturam eam credidiſſet. Sibi, inquam, cũ primis ſtrenuo ac veterano in hac Chriſtiana diſciplina

Paul. Aemil. lib. 9. de reb. geſt. Francorũ.

militi: certè nunquam ſub obtentu ſcelerũ diſceſſuro ab vetere illa obſeruãtia, quam ſemper ſedi Apoſtolicæ maiores ſui, non ſemel huius dignitatem aduerſus vim Langbardorum tutati, exhibuiſſent. Qualem etiam Regia ſua poſteritas ad hæc vſque tempora inuiolatè pręſtitit: ne Pulchro quidẽ Noni illius nepote, Duodecimóq; Caroli huius itidẽ Noni proauo hinc expungẽdis. priuatas enim, cum imperioſis illis Bonifacio octauo & Iulio ſecũdo ſimultates magis exercuere cum defixum in ſe mucronem legitima prouocatione retuderīt. Neque interea qui antea aut deinceps rerum potiti ſunt, aliud cum ſummis põtificibus certamẽ, quàm de Romanenſis, vt ita dicam, fori ſuccidia, atque admodũ ciuiliter iniuere. Cæterùm in Romana ſede catholicæ eccleſiæ matricem & radicem cum diuo Cypriano agnouere. Ac vt ſuperius relata eiuſdem verba non diffitear ad omnes æquè in quaque eccleſia Epiſcopos, vt pote diuina poteſtate in partem eis cõmiſſæ ſolicitudinis prędítos, tamen ad eum potiſſimùm in quem dirigũtur Cornelium

Cypria. lib. 4. epiſtol. epiſt. 8.

Papam

Papam pertinere ostẽdunt, post paulò sequentia hæc: *Et adhuc nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ecclesiam principalẽ, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, & à Scismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, & ad quos perfidia non posßit habere accesßum.* Sed & huic penè sæculo anterior beatissimus Irenęus præfat⁹ Valẽtini, & similium hæreses pro deliramentis eo ipso habendas, quòd nihil tale traditum comperisset, ab his quos sibi successores Apostoli delegissent, cũ vitæ innocẽtia, tum doctrinæ ecclesiasticæ præstantia insignes, & ab illis si quæ abstrusa & recondita mysteria sciuerint probabiliter doctos, subiungit se non omnes cuiuslibet (quod longum esset) tantum maximæ, ac duorum Apostolorum Petri & Pauli fundamẽtis inclytę Romanę ecclesiæ Episcoporũ successiones indicaturũ. *Ad hanc enim ecclesiã*, inquit, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles.* Deinde nominatis duodecim vrbis Episcopis, per quos cõseruata ea quæ

Cypr. d. epistol. 3.

Irenæus lib. 3. aduer. hæres. Valentini & similiũ. cap. 3

d. cap. 3.

ab Apoſtolis eſt traditio, ad ſuum vſque tempus perueniſſet, qui diuerſum ab Romanæ ipſius eccleſiæ, ceu locupletis totius Apoſtolicæ veritatis depoſitariȩ prȩceptis, inſtitutiſve protulerint, eos manifeſti plagij coarguit, nobiſq; anathemata eſſe denuntiat. Auguſtinus quoque conteſtatus ſe in Manichȩorum dogma minimè conuenturum, niſi de omnibus rebus ad ſalutem animȩ pertinentibus perſpicuam ipſi ſine vlla caligine rationem dederint. *In catholica eccleſia*, inquit. *Vt omittam ſynceriſſimam ſapientiam, ad cuius cognitionē pauci ſpiritales in hac vita perueniunt: vt eam ex minima quidem parte, quia homines ſunt, ſed tamen ſine dubitatione cognoſcunt: cæteram enim turbam non intelligendi viuacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit: Vt hanc ergo omittam ſapientiam, quam in catholica eccleſia eſſe non creditis, multa ſunt quæ in eius gremio me iuſtiſſimè tenent: tenet conſenſio populorum, atque gentium: tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri, cui paſcēdas oues ſuas Dominus poſt reſurrectionem commēdauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſ-*

Aug. libr. contra epiſtolam fundamēti cap. 4.

succeßio sacerdotum : tenet postremò ipsum catholicæ nomen : quod non sine caussa inter tam multas hæreses sic ista sola ecclesia obtinuit, vt cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino, vbi ad catholicam cõueniatur, nullus hæreticorum vel basilicã suã, vel domum audeat ostendere. Porrò ex aliis huius scriptis promptum est quam Petri sedem, quámve sacerdotum in ea successionem intelligat, nempe hanc Romanam ecclesiam, in qua Apostolicę cathedræ principatũ semper viguisse affirmat, & quos vndequadraginta, à Petro ipso incipiens, & in Anastasium desinens vrbis Episcopos enumerat. Quod cum nõ latuerit Caluinum, vt qui eius successionis Fausto Manicheo obiectę pręcisè mememinerit, constanti hęreticorum more planè ea quæ caussam suam iugulant dissimulandi, nequeo mirari satis impudentiam hominis asserentis, quæ modò recitatis, paucísque interiectis subdita sunt hæc, *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me catholicæ ecclesiæ commoueret authoritas*, vulgò à nostris quasi fidem quam scripturis habemus, à mero hominum nutu arbi-

August. epist. 165.

d. epist. fund. cap. 5.

trióve ſuſpendentibus perperam & calumnioſe citari: neque aliò ſpectaſſe Auguſtinum, quàm vt eam authoritatē iſagogem eſſe, qua ad hanc fidem præparamur innueret: ad hoc lōgiùs productum huius ſermonem afferentis, quo ſequendos eos cōmonet, qui nos inuitant priùs credere, quod nondum valemus intueri,
Ibid. ca. 14 *Vt ipſa fide*, inquit, *Valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur, non iam hominibus, ſed ipſo Deo intrinſecus mentem noſtram firmante, atque illuminante*: poſtremò non neceſſariis teſtibus vtentis in re manifeſta, videlicet eccleſiam prophetarum & Apoſtolorum doctrina, tanquā ſuo fundamēto niti, vt inde colligeret vir apprimè dialecticus ſuam hinc certitudinem ante conſtare oportuiſſe, quàm illa extitiſſet. Rectè ſanè ſi non primitùs horum prædicatione hæc diuulgata, poſtmodū canonicis ſcriptis mandata fuiſſet. Sed quorum iudicium ad ſe vnum, aut alium quempiam nebulonem mauult pertinere, quàm ad illam viſibili cœtu conſtantem eccleſiam, quanuis hanc interdū veritatis columnā eſſe fateatur. Quod autem

tem ad poſterius illud Auguſtini dictum attinet, tantum abeſt vt eo eccleſiæ authoritatem ad Iſagogicam quandam rationem, humanámque ſuaſionem compulerit, vt hac tandem ceu firmiſſimo euangelicæ doctrinæ amento arctius conſtricta germanum ſcripturæ ſenſum deſuper immitti aſſeuerauerit. Quinimò idem alibi hunc à nonnullis ſine catecheſi, at ſolo certóque numinis afflatu præpoſterè perceptum, tamē eccleſiæ, id eſt, fidelium congregationi conferendum, huiúſve examini ſubiiciendum eſſe cenſuit. Sed hic, quem paucis perſtrinxi, apud Auguſtinum explicatior locus iis maximè adeundus eſt, qui nunc ſuas nouitates velut diuinitus hauſtas ſingulari arrogantia aſtruere, ac quibuſque maiorū decretis pari audacia inductis ſubrogare conantur. Quanquam, ſui interdum diſſimilis Luterus, has non aliter quàm dictante eccleſia, aut Deo ſignis præmonſtrante recipi debere profiteatur. Si quis igitur illum, id quod in Mūcero æquum eſſe ſtatuit, rogaſſet, quis docendi munus ipſi commiſerit, quis euocarit? eóque

Aug. libr. 2. Euangel. quæſt. quæſtion. 40.

Sleida. libr. 5 comm.

tum Deum authorem haud dubiè laudante, cum Papam alióſque Epiſcopos prorſus abdicarit, iuſſiſſet hãc ſuam profeſſionẽ euidenti aliquo ſigno comprobare, núm hîc, quæſo (facto ſimili, vt retulimus, periculo penè peſſundatus) obmutuiſſet? Ex quo intelligitur hunc ſua ipſius ſententia cum eodem Muncero & iſtiuſmodi reliquis nouatoribus repudiandum, cùm propriæ ac nouæ cuidã ſapientiæ ad vltimum ſit innixus: præſertim in ea doctrina, quã plures legititmæ Synodi, vti celitus demiſſam, nec humana aliqua ratione, aut inſtitutione proditã, ideóque nomen hæreſis, in cæteris ſectis alioqui tolerabile, abhorrẽtem, certatim admiſere. Sed quam fraterculus iſte reſtrictè adeo præfiniuit, vt ſe vllis antiquarum ſeſſionũ cõſtitutionibus, quas humanas identidem vocat, vrgeri poſſe neget, tantúmque iis qui canonicis libris, quorum interim Ariſtarchum agit, expreſſè continẽtur acquieſcat. Ità ab omni æuo comparatam in hoc potiſſimùm, vt ſui ſimiles vulpeculę in vinea Domini deprehenſæ illaquearentur, conciliorum

vim

vim declinauit, ſimul in nos acutiſſimũ, quíque hac ſublata, vnicus iis conficiendis ſupererat, diuini verbi gladium è canonicis illis educẽs retorſit: acutiſſimum quidem, ni Ioannes Roffenſis Epiſcopus, & alij viri doctiſſimi, verbi eiuſdem ab apoſtata, vt plurimum hyperbolicè accepti, nequaquam ſuo, ac proprio, ſed cõmuni probiorum ſcripturæ interpretum ſenſu, aciem continuò retudiſſent. Nondum enim eò impudentiæ ac temeritatis proruperat ille, vt ſaltem eorum qui ante milleſimum annum eccleſiaſticis ſcriptis inclaruiſſent authoritatẽ defugeret. Atqui vaferrimo impoſtori profuit (ſiquidẽ cuiquam prodeſt ſecum tot animas orco demittere) illita quodam in ſpeciẽ melle venena ſparſiſſe: hoc eſt, Germano, deſcripta idiomate dogmata promulgaſſe: quibus impotentium mentes vltro efferarentur, cum ſublata, quæ diuini planè inuenti eſt, exomologeſi: tum inducto, in quo viſenda ſacrorum mundities, cleri cœlibatu: cũ excucullatus ipſe quadrageſimo primo ſuæ ætatis anno deuelatæ cuidam virgini, bellus vtique gene-

Roffen. aſſerto. in Luter. confut.

Roffenſ. aſſert. in Lute. artic. 9.

Sleida. lib. 5 & 6. cõm.

rando antichristo maritus, nupsisset: eiúsque exemplo monastica passim Germanorum, Anglorum, Scotorum, partim etiam Helueticorum pagorum claustra refringerētur: Vnde tandem petulci fraterculi, lasciuáque puellæ exeuntes, in illicita fœdera, prætexto coniugij nomine, coirent. Tantorum porrò malorum architectus ęgrè à Carolstadio in nubendo præuentus, certè grauiter in hunc, quòd affixas templis sanctorum imagines euertisset, inuectus est: sola omniū, quod ait Augustinus, hæreticorum matre superbia, virum gloriæ cupidissimum in veterem amicum, eius rei, quam tacitus alioqui probaret, caussa concitante, cum nemini quicquam se inconsulto audendum atque innouandum esse duceret. Nihilominus Carolstadium Tigurini & Bernenses dirutis diuorum simulachris, vt cum hoc Lutherum presbyteri Argentinenses, ductis vxoribus, imitati sunt. Maximè verò vanissimi hominis animum anxit, huius sui discipuli audaciam consecuta authoritas: Cinglio, quam ille in Sacramento admittebat, impana-

Sleidan. d. lib. 5.

Aug. lib. 2 de Genes. cō tra Manich. cap. 108.

Sleid. lib. 4 & 6.

Sleid. d. li. 4

Sleid. d. li. 5

panationem reiiciente : cuius nimirùm absſurditate *claßicum*, inquit Caluinus, *canere viſus eſt ad ſacramentorum hæreſim excitandam*. Nam vt eius, quam ſupra modum ambiuerat, laudis, tot ſcilicet hominum myriadibus ab Romana eccleſia diſtractis, compos fuerit : ſéque ingenti in Papatum odio excęcatum multis cum dictis, tum factis oſtenderit: tamē ab eo, quem ſibi opinione finxerat, principatu viuens, prudénſque excidit, vix quota parte eorum, quos in ſuam doctrinā initio pertraxerat, retenta : contra Cinglio cum Caluinianis, reipſa ipſa ſuis, longè latéque, nonnullis Germaniæ proceribus, qui ab illo priùs ſteterant, frementibus, dominante. Lantgrauio igitur ſatagente vtrique conſtitutus dies, quo Marpurgi, ſuum illud diſſidium placidè compoſituri, conuenirent. Verùm repugnāte eo ipſo diſſenſionis ſpiritu, qui ambos primùm in catholicam eccleſiam, deinde inter ſeſe cōmiſerat, re infecta dimiſſi ſunt. Atqui Luthero multo poſt extincto, qui figulari rota volubilior antea ſemper fluctuauerat Melancthon, ac ſæ-

Caluin. defenſ. 2. contra Ioachi. Vueſtph.

Hoſius li. 1. de hæreſ. noſtri tempor.

Sleid. d. li. 6 in fine.

Sleid. d. lib. 16.

Hoßius. d. lib. 1.

pe ſuos, præſertim Communium locorum, libros multis additis, detractis, mutatis, & correctis, ita vt poſtremi nulla ferè in parte primis reſponderent, recudi curauerat, demum magiſtri ſui perſuaſione, in qua, quoad ille vixit, perſtiterat, repudiata, ad Caluinianam nihilo saniorem transfugit. magis enim ethnicis artibus excultus fuerat, nec aliquando ſcholæ theologicæ aſſueuerat. à qua qui porrò deſciſcunt, plus aliquanto tamen hinc roboris & firmitatis, etiã ſiniſtro quouis dogmate tuendo, aliis eius penitus expertibus retinent. Cuiuſmodi ſua turbulentiſſima tempeſtate ſimiles, qui, quo aliàs valebant, ingenio in ſuam fratrúmque ſuorum perniciem diſſeminandis erroribus præpoſterè vtebantur perſtringere videtur Apoſtolus his verbis, *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcũ.* Sanè, vt de non illectis operibus ſedulò meum qualecunque iudicium proferam, ſi Martyris Defenſionem cũ Caluini Inſtitutionibus contuleris, illam prę iſtis, quanuis phaleratis, argutiſſimam, rurſum

1. Ioan. 2.

rursũ illũ, præ isto velitari ac versatili, statariũ & pugnacẽ militẽ, ne dicã optimũ in pessima caussa aduocatũ iudices. Atenim tu tibi, excipies, videris in eius aduersarij, tanquam fortissimi athletæ, cõmendatione triumphum canere: nempe eius, quem præcipuis in nos, quos transsubstantiatores appellitant, argumentis exarmasse præ te fers, iis interim omissis quæ per se sola viri mediocri iudicio prediti attentione diluuntur. Quídni, inquam, intelligentibus, cuique veritatis amanti non difficilem de iis, qui in omni disciplina, sic inter se dissentiunt, vt quotidie noua sibi pro libito figãt ac refigant dogmata, fore victoriam. Proinde memini me cuidam in speciem amiculo, sed ad cuius attrectationes, non aliter quàm catulus in sinu domini sui ab ignoto eblanditus, subringere soleam (cum is eius generis hominum habeatur quorum mortaria, vulgò vt loquimur, allium oboleant) Bezam hoc in primis de doctoribus suis, quòd satis vnam, quibúsque flagitiis pudore cõtinendis, exomologesim abrogassent conquestum fu-

isse asserenti, continuò succlamasse, ô vtinã id illis, non tam multos inde sectatores habituris in mentem venisset: alterum quoque eiusdem farinæ suorũ ministrorum doctrinam iactantem à me rogatum, númnam eorum in numero hos recenseret, qui non ita pridem cum Vigorio & Sanctio conferentes, vel potius tergiuersantes, nostris de cepis, vt est in prouerbio, loquentibus, de alliis inscité responderũt. In quos omnes igitur exclamare libet gallicis Ronsardi nostri versibus verissimum istud,

Ò falsi nimiùm, studiosi hìc mille supersunt,
Qui stoream à teneris denso viscare screatu
Assueti, referat quid vestrum cuique perennẽ
Ad vitam, in decimum doceant, & eo amplius, annum.

Hæc ego tibi clarissimè Angenee, Sus, vt aiunt, Mineruã: atque adeo parergi vice: vt catholicis denique solatio sit nosse ab vno, & tali, qualẽ obiter descripsimus, Lutero, tãquã infecta arbore, tot, quot olim ab vno Arrio, errorũ surculos, neutros alteris meliores, progerminatos fuisse, ac iam plures catholicæ ecclesię tragœdias,

quam

quàm veterum annalibus referantur, in noſtris calamitatibus cerni ab illis, prò dolor, excitatas, qui, vt. hunc libellũ meo dudum exarato carmine concludam,

Non ſecus ac ſummo deiectus vertice cæli
Cum ſociis, quem promeritis cruciatibus actum,
Deſpecta bonitate ſui, veniaq; tremendi
Iudicis, admiſſi neque pœnitet, ac libet iras
Colligere, humanáque ſuam cumulare ruina,
Frendentem tædétq; poli cõuexa tueri:
Saxea corda gerunt itidem, referúntque magiſtrum.

FINIS.